verat Largus. Cùm ſibi mortem conſciviſſet Gallus, multi in
A partes Largi tranſierunt, in quibus tamen non fuerunt optimates. Nam Proculus factus ei obviàm, cœpit nares ſuas, & os manu occludere: atque ita ſignificare præſentibus, tutum non eſſe coram eo reſpirare. *Dion. in Auguſto.*

E x t e n s i o.

Apud Græcos manus ad cœlum tendere, vel pulverem crinibus ſpargere, vulgaris ſupplicandi mos fuit. *Alex. ab Alex. l. 2. c. 19.*

Apud Aphros, & Numidas in dextra magnam viro ineſſe auctoritatem, majeſtatemque omnes putarunt. Dextra quippè manu pacem imperabant, & ſilentium. *Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3.*

Polybius de Militibus non paucis C. Flaminii, inquit, qui victi in acie in lacum ſe conjecerant, ac quouſque altitudo ipſius patiebatur, progreſſi ſunt: cùm equites hoſtium eo ingreſſos viderent, exitiumque appropinquare, manus ex aqua exerentes, ac tendentes, voceque etiam precantes, ut vitæ ſuæ parcerent, aut trucidati ab ipſis ſunt, aut ſe mutuis vul-
B neribus diffidentes ſaluti, confecerunt. *Victorius l. 12. Var. lect. cap. 23.*

Virgilius idem ſignificare volens, quod ξχίρειν χεῖρας, in XII. Æneidos, cùm ſimile tempus Turni exponeret, cecinit:

Ille ſupplexque oculos, dextramque precantem
Protendens.

Et paulò poſt:

—— viciſti, & victum tendere palmas
Auſonii videre.

Victor l. 12. Var. lect. c. 13.

Παρασείειν, manus demittere, & demiſſas agitare, ut feſtinantes ſolent, vel in curſu, vel inceſſu. Hinc φεύγειν παρασείσαντα, manibus demiſſis fugere apud *Ariſtot. l. 4. Ethicorum, & Plautum Epidico.*

Cato major ajebat, odiſſe Militem ſe, in ambulando qui manus, & in præliando moveat pedes, ſtertat altiùs, quàm fremat. *Plut. in Apophth.*

C
O c c u l t a t i o.

Hecuba apud Euripidem Ulyſſem ſupplex accedebat pro filia Iphigenia deprecatura. At ille dextram, quam tangere parabat, occuluit, præciſa omni ſpe veniæ.

Æſchines in oratione contra Timarchum, de ſobrietate priſcorum Rhetorum loquens: ὥστε ὃ νυνὶ πάντες ἐν ἔθει πράττομεν, τὸ τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, τότε τοῦτο θρασύ τι ἐδόκει εἶναι, καὶ εὐλαβοῦντο αὐτὸ πράττειν. id eſt, Itaque quod nunc omnes ex more facimus, ut inter dicendum manum extrà pallium habeamus, tum temporis confidentiæ tribuebatur, ac verebantur id facere. Addit, Salaminæ ſpectari ſtatuam Solonis, manum intra pallium habentis. *Quintilianus* verò *lib. 12.* damnat eos, qui nunquam commoventur inter agendum, ſemperque manum, quod ajunt, habent ſub pallio. Quapropter, inquit, mihi falli multùm videntur, qui ſolos eſſe Atticos credunt tenues, & lucidos, & ſignificantes, ſed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac ſemper manum intra pallium continentes. Qui languent, manum occultant ſub pallio: qui commoti ſunt, proferunt, & agitatione manus, brachiique pronunciabantur ea, quæ contentionis pluſculum haberent. *Eraſm. in Adagiis.*

D Manus occultare, indicium videtur eſſe avari hominis: ut inde dixerit Theocritus in Charitibus, tenues, & ad largiendum pigros. In ſinu manum habere:

M o t a t i o.

An hoc Græcorum eſt ὀνοκίζειν, quaſi ὦτα ὄνε intendere manu mobili auriculas albas imitari, ut ait Perſius:

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

S i g n i f i c a t i o. Nempè.

Innuendo.

☞ *Vide Nutum. Illic Significationis, hìc Significantis habetur ratio.*

Sunt, qui Syracuſis ſaltationem primo exortam prodant à tyranni Hieronis immani ſævitia, quia inter alia dicta immitia Syracuſanos etiam mutuis uti colloquiis vetuerit: quæ verò neceſſaria forent, pedum, manuum, oculorum nutibus, indiciiſque juſſerit petere, unde mos ſaltationis exortum peperit E
neceſſitas. *Cæl. l. 5. c. 3.*

Cavam oſtendendo.

Vespasianus Imperator nunciantibus legatis, decretam ei publicè non mediocris ſummæ ſtatuam coloſſam, juſſit ut continuò ponerent, cavam manum oſtentans, & paratam baſim dicens. *Suet.*

Crucem effingendo.

Tertullianus ſcribit *in lib. de Corona militis*, veteres Chriſtianos frontem ſuam ſæpè ſignaſſe cruce. D. Hieronymus Demetriadem hortatur, ut crebrò ſignaculo crucis frontem muniat, ne locum in ea exterminator Ægypti inveniat, Origenes quoque, Epiphanius, *Chryſoſtomus*, & *Auguſtinus* multa ſcribunt, de virtute ſanctæ crucis. D. Athanaſius *in lib. de Humanit. verbi*, ejuſque adventu: Olim, inquit, dæmonia inani ſpecie, ludibriiſque rerum intricabant homines, inſeſſis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus, aut lignis, atque ita præſtigiis fatuos in ſtuporem agebant. Nunc verò cùm apparuerit Dei verbum, ſpectra hujuſmodi, & ludibria imaginum ceſſaverunt. Lactantius divinarum Inſtitut. *l. 4. c. 26. & 27.* dicit ad illos, qui frontem cruce ſignant, diabolum non habere acceſ- F
ſum, nec lædere poſſe. Addit, Chriſtianos hac cæremonia antiquitùs in expellendis dæmonibus, & ſanandis morbis uſos eſſe.

DIGITORUM MOTUS.

Putà.

C r e p i t u s.

Sardanapalo Aſſyriorum regi effeminatiſſimo defuncto ſtatuam lapideam fecerunt, ſecum ipſam tripudiantem ritu barbarico, digitiſque ſuprà caput velut concrepitantem, cui inſcripſerunt: Ede, bibe, veneri indulge, cætera nihil ſunt. *Plut. orat. 2. de Alex.* fortuna. *Athen. l. 12.* prodidit, hoc geſtu digitorum ſignificaſſe, res humanas omnes prorſus eſſe contemnendas, ac ne digituli quidem crepitu dignas.

Qui arrogantius, faſtuoſiuſque jubent quippiam, digituli crepitu ſignificare dicuntur. Id *Hieronym. epiſt. ad Ruſticum* monachum uſurpavit, in ſuperciliosum quendam, & faſti- G
dientem, qui dicturus, digituli crepitu ſilentium imperabat: deinde ſimili faſtu, ſingulas voces, per intervalla promebat: ut ſingultire crederes, non proloqui. Videtur autem hic geſtus fuiſſe Dominorum, ſervis humilius aliquod miniſterium innuentium. *Martialis l. 3. in Zoilum:*

Digiti crepantis ſigna novit Eunuchus.

Item in Diſtichis.

Cum poſcor crepitis digitorum.

Eraſm. in Adag.

E l a t i o, P r e s s i o.

Digitum tollere, videtur eſſe geſtus comprobantis, aut ſe profitentis emptorem, ſive conductorem. Siquidem & hoc pacto olim ferebantur ſuffragia, & in auctionibus eodem, qui volebat declarabat ſe emptorem, aut conductorem. *Eraſm. in Adag.*

Antiquitùs in pollice favoris erat, ſtudiique ſignificatio. Qui faveret, pollicem premebat: qui minùs faveret, pollicem convertebat. Qui geſtus in proverbium abierunt, ut jam premere pollicem dicatur, qui quoquo pacto favet: convertere, qui malè vult. *Plin. l. 17. c. 2.* Pollices cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur. *Juvenalis.* H

—— converſo pollice vulgi,
Quemlibet occidunt populariter.

In factionibus Italicarum urbium inter Guelfos, & Gibellinos illud quoque notatum, hos quidem in affirmando, loquendo, oſtendendo indicem, illos verò pollicem exerere.

Biornus accepto nuncio de morte Regneri patris, Danorum regis, quem acie victum Hella Britannorum rex ſerpentibus objecerat, cùm fortè teſſeris luderet, tanta vi correptum manu calculum preſſit, ut è digitis ſanguis exiliret. *Saxo lib. 9.*

O s t e n s i o.

Perſuaſum habent plerique in *verſu Juvenalis Satyræ decimæ*, dum inquit:

—— cùm Fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem:

per hæc verba id notare: quod vulgò omnes contumeliis conciti faciunt, ubi interjecto pollice inter medios proximos digitos, obſcœnum in modum probrum obiiciunt: quo argumento

mento illum faſtidire, & deſpicere oſtendunt. Quòd tamen
A longè ſecus in veteri uſu fuiſſe apparet: quippè infamis digiti objectu, qui medius eſt, ipſum, in quem obiicitur, infamem notari duxerunt. Fuit enim Priſci moris, ut ſi quos floccipenderent, aut inſigni contumelia, vel deformi convicio afficerent, id objectu medii digiti protenti, aut non compreſſi, denotarent: quod eſt à Græcis uſurpatum, ut contractis reliquis digitis, medium ignominiæ cauſa protenderent, quod σκιμαλίσαι dixere, σκιμαλίζειν enim, prætentari eſt digito, an gallinæ ova conceperint. Quare ab Athenienſibus, medius catapygos, quaſi cynædus adnominatur, quod infamiam incuteret, & convitium faceret. *Alex. l. 4. c. 26.*

Mithridates Ariobarzanis F. ſimulata amicitia cùm Datami, qui ab Artaxerxe rege defecerat, congreſſus, oſtendens ei digito locum à tergo quaſi caſtrametationi opportunum reſpicientem ſica transfodit. *Probus in Datami.*

Apud *Laertium* Diogenes Cynicus hoſpitibus quibuſdam Demoſthenem videre cupientibus, non indice digito, ſed medio porrecto demonſtravit, parum virum innuens, & effeminatum. Ac paulò pòſt eodem in loco, ſatis indicat porrectione digiti medii quippiam obſcœnum ſignificari, cùm ait: In-
B ſanos haberi, qui medium porrigant digitum: qui indicem, non item. *Eraſm. in Adagiis.* Quare verbum Diogenis proditur, multos per digitum inſanire, quod medio digito ſe philoſophantes peregrinis demonſtrarent. *Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 16.*

I m p l e x i o.

Adſidere gravidis, vel cùm remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter ſe implexis, veneficium eſt: idque compertum tradunt, Alcmena Herculem pariente. Pejus, ſi circà unum ambove genua. *Plin. l. 28. c. 26. Nat. hiſt.*

PEDUM MOTUS.

U t E s t I m p o s i t i o.

Pythagoricis in perpetua fuit obſervatione dextero femori nunquam lævum imponere, neque par eligere loco imparis, ſi nihil aliud referret. *Plut. de Immodica verecundia.* Item *Plin. lib. 28. cap. 6.* ſic ſcribit: Poplites alternis genibus imponi, veneficium habebatur. Ideò hæc in conſiliis ducum, poteſtatumve fieri vetuere, & ſacris, votiſve ſimili modò intereſſe.

C
F l e x i o. I n g e n i c u l a r i.

Tartaris tota nocte orientem verſus novies inflexis genubus orantibus, miraculosè apertum eſt mare. ☞ *Vide Titul. Somnia ſedis imperii.*

CORPORIS VITIA.

D e f o r m i t a s.

☞ *Vide Locum de ſignatis. Ubi expenditur commune Proverbium, cur ab illis cavendum. Item expendatur locus de ſucceſſione. Tit. an vitia corporis obſint Succeſſioni.*

Correctio.

CORRIGERE. EMENDARE.

Græci dicunt διόρθωσιν, διορθόω, emendo, corrigo, ſignificationem habet vulgarem.

S C R I P T A.

D

L. Varus, & Plocius Tucca, viri doctiſſimi, amici Virgilii, hæredeſque ex parte teſtamenti relicti, juſſu Auguſti carmina Æneidos emendaverunt, hac lege, ut nihil adderent. *Servius.*

Aristarchus Grammaticus obeliſcis jugulare ſolitus erat, quæ parum probabat. *Eraſm. in Adag.*

Ovidius de ſuis carminibus 1. *de Ponto* 6. hæc ſcribit.

Cùm relego, ſcripſiſſe pudet: quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, judice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic, quàm ſcribere major,
Menſque pati durum ſuſtinet ægra nihil.

Item 3. *de Ponto* 9.

Scribentem juvat ipſe favor, minuitque laborem,
Cumque ſuo creſcens pectore fervet opus.
Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quantò
Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.

Perſii Satyrici notus eſt verſiculus:

Auriculas aſini quis non habet:

Ferunt nonnulli primùm à poeta ſcriptum fuiſſe:

Auriculas aſini Mida rex habet: E

deinde metu Cæſaris ſcripturam mutaſſe. Quis non habet: *Eraſm. in Adag.*

Hieronymus de ſua verſione ſic ſcribit in procœmio Paralip. Ubicumque aſteriſcos, id eſt, ſtellas hoc in volumine radiare videritis, ibi ſciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habetur. Ubi verò obelus, tranſverſa ſcilicet virga præpoſita eſt, illic ſignatur, quod LXX. interpretes addiderunt, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus ſancti auctoritatem, licèt in Hebræis voluminibus non legatur. Hæc ille. Quem laborem ſic conferendi interpretationes, & annotandi, primus ſumpſit Origenes, collata verſione Septuaginta cum Theodotionica, ut Hieronymus eſt auctor, ſcribens ad Auguſtinum, qui cùm hoc Origenis ſtudium alibi vehementer probat, in epiſtola ad Aug. inceſſit, non ſic emendatos codices dicens, ſed per obelos, & aſteriſcos depravatos, quod ut diceret, tranſverſo eſt affectu impulſus, quòd interpretationem ejus Auguſtinus nollet attingere, apud quem ſacroſancta erat Septuaginta. *L. Vives in lib. 18. Auguſt. de civitate Dei, cap. 43.*

RELIGIONEM. F

RELIGIONIS CULTUS,

Correctio.

☞ *De Religionis correctione in univerſum alibi agimus. Hìc verò ſingillatim Rerum ſacrarum abuſum ſublatum, immutatum conſideramus.*

I D O L A

T o l l e r e, E v e r t e r e.

E x e m p l a S. S c r i p t u r æ.

Ezechias rex Judæorum diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſi quidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum: vocavitque nomen ejus Nehu- G
ſtan. *Regum lib. 2. c. 18.*

Josias rex, excelſa, quæ erant in Hieruſalem ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificaverat Salomon rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit. 2. *Reg. 23. & 2. Paralip. 34.*

Asa rex ſuſtulit excelſa de populo, & ſacerdotes Beelphegor, & matrem de auguſto depoſuit imperio: ſicut Scriptura teſtatur dicens: Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus: & abſtulit effeminatos de terra, purgavitque omnes ſordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron. *Hieron. l. 1. com. in Oſeæ c. 4. & 2. Paralip. 14.*

Josaphat rex, cùm ſumpſiſſet cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelſa, & lucos de Juda abſtulit. 2. *Paralipomenon* 17.

E x e m p l a H i s t o r i c a. H

In ſtatuis deorum, ſub Conſtantino, & Theodoſio Imperatoribus everſis, repererunt, aut mortuorum corporum oſſa, atque arida crania, incantatorum perverſitate impoſita: aut ſordidos panniculos, fœda abominatione refertos: aut fœni, & ſtipularum faſciculos. *Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini.* Per ſtatuas incantatores ſuas exercuiſſe fraudes, patet ex hiſtoria Theotecni apud *Euſebium l. 9. c. 3. & 11.* Ex adytis per cuniculos in ſtatuas prorepebant, indeque reſponſa dabant. *Theodoretus l. 5. c. 22.*

Ad quercum Mambre, ſub qua Abraham angelos Dei Sodomam punituros obvios habuit, longa pòſt ætate Palæſtini, & Phœnices, & Arabes idololatriam exercuere. Diſtat locus Hieroſolymis circiter CCL. ſtadiis, Therebinthus vulgò dictus. Meſſis tempore illic conveniebant, tanquam ad mercatum, Judæi, Chriſtiani, Ethnici: pro ſua quique religione locum colebant, orationibus, ſacrificiis, opima animalia in convivium illud ſacrum toto anno ſervantes. Cum mulieribus, licèt cultiſſimæ

tiſſimæ ſacro interſint, religionis cauſa non miſcentur: in puteum A ab Abrahamo depreſſum libamenta proiiciunt: alii lichnos accenſos, alii vinum, alii placentulas, alii numiſmata, unguenta, vel thymiamata: eamque ob cauſam, aqua illa commixtione injectorum corrupta, & inutilis eo tempore redditur. Hanc idololatriam Conſtantinus Magnus ſuſtulit, & templum ibidem ædificavit. *Euſebius lib.3. de vita Conſtantini, & Sozom. l.2. c.4.*

ARTEMIUS, dux Ægyptiorum militum, ſub Conſtantino plurima ſimulacra dejecit: ob quod à Juliano poſteà capite mulctatus. *Theodoret, l.2.c.18.*

THEODOSIUS Imperator adversùs Eugenium victor, ſicut crediderat, & prædixerat Jovius, ſimulacra, quæ adversùs eum fuerant, neſcio quibus rebus velut conſecrata, & in Alpibus conſtituta dejecit: eorumque fulmina, quòd aurea fuiſſent, jocantibus, (quod illa lætitia permittebat) curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter, begninèque donavit. *Aug. l.5. de Civitate Dei, c.26.*

Sub Juſtino II. ann. DLXX. Beneventanus Epiſcopus arborem, quam colebant Longobardi, ſuccidit, & viperæ ſimulacrum in aureum calicem commutavit. *Chron. Ant. Tit.12. c.6.*

B Cùm Chriſtiani Gazæ in Palæſtina malè à Gentilibus ibi prævalentibus haberentur, Porphyrius Epiſcopus ægrè paſſus Joanne Cæſareæ Epiſcopo comite aſcito, Conſtantinopolim ad eas injurias conquerendas anno CCCCI. perrexit: atque urbem ingreſſus, Joann. Chryſoſtomi Epiſcopi apud Imperatorem auxilium imploravit. Ille Arcadium ſibi eſſe iratum cauſatus, negotium eorum Amantio eunucho, viro apud Eudoxiam Auguſtam gratioſiſſimo, ſe commendaturum promiſit. Eudoxia ubi Epiſcopos ab Amantio introductos aſpexit, ſalute ultrò dicta, veniam, quòd eis non aſſurgeret, petiit: cauſa in uterum, quem ferret, conjecta: ac poſtulatis eorum cognitis ſe cum marito colloquuturam aſſeruit. Arcadius ſe, quod illi poſcebant, templa Gentilium Gazæ diruturum, abnuit, quod magnis ab ea civitate vectigalibus juvaretur: verùm ea clauſurum oſtendit, ut eis ſpoliati ad veritatem recipiendam impellerentur. Eudoxia inde in ſpem ab Epiſcopis excitata, fore, virilem prolem pareret, eamque diù proſperè imperantem videret, omninò ſui eos voti compotes facturam promiſit: ac paulo poſt filium peperit, ac poſt VII. dies ac- C cerſitis Epiſcopis, ac filium cruce ſignare, & ſancta benedictione afficere juſſis, quid eos facere vellet, docuit. Ubi verò dies baptiſmatis venit, puer magiſtratibus, & cuncta nobilitate, totaque civitate proſequente, ad Eccleſiam latus, & ſacro fonte infectus, Theodoſii nomen, atque Auguſti dignitatem accepit, cùm & ipſe pater adeſſet Arcadius. Quo facto, Epiſcopi, prout ab Eudoxia fuerant juſſi, diploma Auguſto puero porrexerunt. Qui verò infantem ferebat, eo lecto, caput ipſius, perindè, ac ſi ille annueret, inclinavit, ac palàm dixit, placere Auguſto, ea expleri, quæ petita fuiſſent. Ob id Arcadius (quoniam ea prima filii Auguſti juſſio fuerat) adverſari Epiſcoporum voluntati neſciens, reſcriptum Epiſcopis ſuo, & filii nomine reddidit. Ita, reverſo Gazam Porphyrio, templa, atque imagines omnes deorum everſæ ſunt. *Sigonius l.10. Imperii occidentalis.*

SERENUS Maſſilienſis Epiſcopus, quoſdam gentilium more imagines adorantes, tanquam ſi quid iiſdem ineſſet divinitatis, aut virtutis, conſpicatus, eaſdem ſuſtulit, ac confregit. Et zelum quidem ejus laudavit D. Gregorius, ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicavit. Idcircò enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui literas neſciunt, ſaltem D in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum neſcii haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. *Georgius l.7. Epiſt.c.109. & l.9.c.9.*

VIGILIUS Tridentinus Epiſcopus, Tridentinos ad Chriſti pietatem traduxit. Cùm ſupereſſent, qui idolis addicti eſſent, illi uno, atque altero comite eò profectus, ſimulacra manibus ſuis dejecit. Quam rem indignè ferentes ſuperſtitioſiſſimi homines, pluribus ictibus corpus ejus in fruſta diſſecuere. *Egnat. l.3. c.7.* In valle unde flumen Sarcha profluit æreum Saturni ſimulacrum fregit, & in fluvium projecit. *Auctor vitæ.*

CARCOMBERTUS, Albadi Anglorum regis F. in Anglia poſt patrem XXV. annis regnans, primus idola deorum deſtruxit, & fidem Chriſti dilatavit. Anno DCXL. *Sigebert. in Chron.*

VVOLFFREDUS Anglus, ad Svecos profectus idololatras, in concione populi vociferans: Si potens eſt veſter deus Torſtam, ſe vindicet: arrepta ſecuri ſimulacrum in fruſta concidit. Sed mox ab adſtantibus mille petitus gladiis confoditur, fruſtatimque conciſus, pœnas (ut ajebant) dedit violato numini. E *Crantzius l.4. Metrop.c.8.*

CAROLUS Magnus victis Saxonibus ad Albim fluvium in caſtello Megedeborg fanum evertit, quod illi loco nomen dedit: ſuperſtitionis fortè reliquias Romanæ, cùm Druſus Nero, deinde filius ejus Germanicus ſub Auguſto Cæſare præeſſet provinciæ. Simulacrum tale fuit: Stabat in curru nuda femina, myrtea caput cincta corona, ardentem facùlam in pectore, in dextera mundi figuram, in ſiniſtra verò mala aurea tria perferebat. Poſt eam tres puellæ (Charites Græci, Latini Gratias dixere) nexis manibus nudæ ſingula poma geſtabant, averſis invicem vultibus dona porrigentes. Jugales quadrigæ erant gemini cygni, totidemque columbæ. Carolus ibi Eccleſiam S. Stephani excitavit. *Crantz. l.2. Saxoniæ, c.21. & l. 21. Metrop. c.3.*

Idem in monte Martis (hodiè Mersburg) fanum, & idolum gentis (quod Irmenſuel appellavere) ſubvertit. *Crantz. l.2. Saxon. c.9.* In arce Hartesborg idolum coluere Saxones, cui nomen Krodo (Saturnum hunc dixere Latini) ſenem in piſce ſtantem, qui rotam teneret, & urnam: in rota unionem populi, in urna rerum ſignificans abundantiam. Quod ipſum F quoque Carolus ſubvertit. Remanſit autem inter Saxones execrationis vocabulum, ut in deteſtationem rei peſſimæ dicant, Krodo. *Crantz. l.2. Saxoniæ c.11.*

Vandalorum idolum Filius Lotharius Imperator deſtruxit. *Chronicon. Saxoniæ.*

Anno MCVX. Luderus dux Saxoniæ, & Reynerus Epiſcopus Halbertadenſis, ac Fridericus Comes de Arnsberg, Henrico V. Imperatori in ſe ducenti juſtam aciem objecerant, in loco, qui dicitur Vvelpeshold. Conſertis manibus, victoria penes Saxones fuit. Trophæum erexere victores ibi, armatum clava virum, cum dependentibus armis Saxoniæ. Hanc ſtatuam ruſtica plebs cœpit velut idolum venerari, arbitrata eſſe antiquitatis diem, quem dixere Jodute (Eam verò, quæ hodiè extat acclamationem ad arma, & auxilium, non ab idolo ductam, ſed eſſe vocem Italicam, *Dio ajuti*, Doctiores arbitrantur.) Hanc poſteà ſtatuam, quòd populo daret occaſionem idololatriæ, dejecerunt Viri prudentes, & in loco, qui nunc dicitur Vveddingſtede, conventum fratrum Prædicatorum erexere. *Crantz. l.5. Saxoniæ c.36.* G

GEROLDUS Aldenburgenſis Epiſcopus, cùm in quendam Sclavorum lucum, quem maximè ſacrum habebant, incendiſſet, cum Helmoſto Buzovienſi canonico, ignem ſubiecit totumque in cineres redegit. *Helmold. in Sclavorum Chronico, & Chron. Saxon. c.48.*

UNVVANUS Hamburgenſis antiſtes, omnes ſuæ diæceſeos lucos, quos ſuperſtitioſa plebecula frequentabat, penitus excidit, ac in iiſdem locis templa conſtitui fecit, ſub Henric. II. Imp. *Crantz. in Metrop. l.4. c.1.*

VVIGBERTUS Epiſcopus Mersburgenſis, lucum, in quo Sorabi, & Vandali Zurtiberum colebant, excidit. *Chron. Mesburgenſ. l.2. c.6.*

VALDEMARUS Danorum rex, expugnata Arcone Rugianorum urbe, Suantoviti ſtatuam ſucciſam dejecit. Frequens ædem purpura circumpendebat, ſitu tam putris, ut tactum ferre non poſſet. Nec ſylveſtrium beſtiarum inuſitata cornua defuere, non minùs ſuaptè natura, quàm cultu miranda. Dæmon in furvi animalis figura penetralibus excedere viſus, ſubitò ſe circumſtantium luminibus abſtulit. Oppidani ſimulacro funes iniicere juſſit, cùm id priſtinæ religionis metu exequi nollent, captivis, exteriſque quæſtum in urbe petentibus, H ut illud eiicerent, imperavit, quippè domeſtici numinis majeſtatem, quam tantò cultu proſequi conſueverant, graves è veſtigio pœnas à ſuis violatoribus exacturam putabant. Tum verò variæ incolarum voces exaudiebantur, aliis dei ſui injurias lamento, aliis riſu proſequentibus. Veſpera appetente, omnes, qui culinis præerant, ſimulacrum attentatum ſecuribus, in exigua fruſta, aptoſque foculo ſtipites redegerunt. Mox cùm ſe Carentani quoque dedidiſſent, ab Abſalones Roskildenſe Epiſcopo, regis nomine, tria fana cum totidem idolis everſa ſunt. Primum factum è quercu, Rugiævithum vocabant. Hirundines ſub mento ejus nidos molitæ, in ejuſdem pectus crebras ſtercorum ſordes congeſſerant. Alterum Porevithi, quinque capitibus inſigne, ſed armis vacuum fingebatur. Tertium Potenutii, quatuor facies repræſentans, quintam pectori inſertam habens: cujus frontem læva, mentum dextera tangebat. *Saxo. l.24. & Helmold. l.2. c.12.*

Jagello Lituanus, poſtquam cum Heduigi hærede regni Poloniæ unica matrimonium contraxit, comitia generalia

Vilnæ

Vilnæ Lituaniæ metropoli, anno MCCCXXVII. ad initium A quadragenarii jejunii indixit. Ibi de religione Chriſtiana populariter ſuſcipienda, ac de exterminando cultu falſorum deorum, & omni ſuperſtitione, diligenter actum: ipſo rege maximam ei rei operam navante, non ſolùm hortando, & præmiis alliciendo, ſed etiam docendo, cùm Polonici ſacerdotes linguæ gentilis ignari eſſent. Porrò gens Barbara majorum ſuorum religiones ægrè relinquebat. Sed cum mandato Regis ignis ſacer extinctus, templum, araque ejus, unde oracula à ſacerdote edebantur, everſum eſſet Vilnæ, ubi nunc D. Stanislai templum, necatique ſerpentes, & ſucciſi luci, arboreſque ſacræ abſque cujuſquam læſione, Lituani admirantes, ſtupidique dicebant. Quo modò dii noſtri iſtis perverſis Polonis Chriſtianis hanc injuriam diſſimulant, ſeque lædi ſceleſtis manibus ſinunt; quod ſi hoc aliqui noſtrum perpetraret, confeſtim ira deorum interiret. Sed cùm Poloni citrà læſionem idola everterent, tum verò Lituani vanitate alacriores ad Principum ſuorum religionem facti ſunt. *Cromer. lib.15. & Guag. in Lituania.* ☞ *Conſule Locum de Conciliis.*

NON RESTITUERUNT.

B

GRATIANUS Imperator aram Victoriæ, quam adhuc Romanus Senatus in curia colebat, everti juſſerat, maximo patrum conſcriptorum dolore. Eam celebri miſſa legatione, cujus princeps erat Symmachus vir conſularis, ab Gratiani fratre Valentiniano tum Mediolani degente, unà cum avitis ceremoniis, quibus colendis Roma creviſſet, reſtitui petierunt. Sed acriter D. Ambroſius juſſu Valentiniani reſpondit: deinde, & Prudentius poeta carmine. Quidam etiam Chriſtiani in aula Imperatori inculcabant: Valentinianum patrem ipſius, licèt novæ religioni addictum, veterem non prohibuiſſe, ſervatum idcircò ipſi, & proli ſuæ terrarum orbem eſſe. Fratrem verò Gratianum vetuiſſe, & ob id ita periiſſe eundem, intelligi volebant. Valentinianus ſatis aſtutè reſpondit: Et ego ſicut pater (inquit) non prohibeo, nec acta pientiſſimi fratris (cujus pietas ad imperii culmen me evexit) reſcindere piè poſſum: utriuſque acta tueri fas eſt, æquitaſque poſtulat. *Aventin. lib.2. Annal. Bojorum.*

C

TEMPLA EVERSA, EXPIATA, clauſa, erepta. Luci ſucciſi.

Heliopoli ad Libanum montem Veneris templum gentiles frequentabant, & pro more patrio virgines ſuas cujuslibet ſtupro exponebant. Sed id templum deſtruxit Conſtantinus Magnus per Cyrillum diaconum, & eam conſuetudinem abrogavit. *Sozom. lib.7.6.15. Theodoret. lib.3.6.7.*

Hieroſolymis ab Hadriano uſque ad imperium Conſtantini, per annos circiter CXXC. in loco Reſurrectionis Chriſti, ſimulacrum Jovis, & in rupe Crucis, ſtatua Veneris ex marmore facta à gentibus colebatur ſacrificiis, & immolationibus quibuſdam victimarum. Hieronymus in epiſt. ad Paulinum. Sed eum locum repurgari, & templum Veneris deſtrui, ibique ædem ſacram, in quam Chriſtiani convenirent. Conſtantinus ejuſque mater Helena, curarunt. *Euſeb. lib.3. de vita Conſtantini, & Socrates lib.1.6.17. & Sozom. l.2.6.1. & Ruffin. lib.1. 6.7.*

Templum Hieroſolymitanum ſub Conſtantino Magno Imp. inſtaurare temerario auſu Judæi cœperant. Imper. eorum opera diſiici curavit: & tum architectos, & fabros, tum reliquam D multitudinem, ut perduellionis reos, ſeverè caſtigavit. Notam infamiæ ejus inuſſit, aures præcidit, corpora mutilavit, & tanquam fugitiva mancipia circumduxit ad ludibrium, & terrorem aliis. Chryſoſtomus in oratione de Judæis. Urbe etiam Hieroſolyma, iis interdictum fuiſſe, apparet ex *Sozomeno l.5. c.22.* ubi ea de re apud Jul. conqueruntur.

MARCUS Epiſcopus Arethuſæ, ſub Conſtantino, ſimulacrorum templum deſtruxit. *Theodoret. l.3. c.7.*

AUGUSTINI temporibus ſævitum eſt in Chriſtianos atrociter à rege Perſarum Gororane: cujus initium dedit Abdas Epiſcopus ſanctiſſimus, dirutis Ignis, maximi apud Perſas Dei, templis: ut *Caſſiod. l.10. hiſt. Tripar.* narrat.

JOVINIANUS Imperator templa idolorum à Juliano aperta iterùm claudi juſſit, & ſacrificationes prohibuit. *Socrat. l.5. c.34. & Theodoret. l.5. c.20.*

Carthagine Gaudentius, & Jovius, comites Imperatoris Honorii ann. CCCXCIX. XIV. Cal. Aprilis falſorum deorum templa everterunt, & ſimulacra fregerunt. *Auguſt. l.18. de Civit. Dei, c.54.*

THEODOSIUS Imperator, ut alter Joſias ab Ambroſio, & aliis piis doctoribus de officio ſuo admonitus, & probè inſtru- E ctus, funditùs extirpari templa idolorum juſſit. *Theodoret. l.5. c.20.* Hac occaſione gentiliſmi ſuperſtitionibus rejectis, multi ad fidem Chriſtianam perducti ſunt. Alexandriæ Serapidis illud magnificentiſſimum templum repurgatum, & in ædem Chriſtianorum mutatum eſt. In ea repurgatione cùm litteræ hieroglyphicæ, crucis formam repræſentantes, & in lapide ſculptæ, aliæ item literæ, ſignificantes, templum illud finem habiturum inventæ eſſent: paganorum multi ad Chriſtianiſmum acceſſerunt, & peccata ſua confeſſi baptizati ſunt. *Socrates lib.5. c.17. Sozom. l.7. c.15. Ruffinus l.1. c.22. & ſeq. & Theodoret. l.5. c.22.*

Serapidis ſtatuam Alexandriæ Theophilus evertit archiepiſcopus eodem tempore. Eum alii Jovem eſſe dicebant, alii Nilum, quod modium, & cubitum in capite geſtaret, aquæ menſuram ſcilicet: alii Joſephum, alii Apidem quendam fuiſſe hominum locupletem, regem Memphidis, urbis Ægypti, qui Alexandrinis fame laborantibus, de ſuo victum præbuerit: cui mortuo ſit ædes extructa, in qua taurus aleretur, agriculturæ ſymbolum, qui quaſdam in colore notas haberet. Ex ipſo autem nomine apparere, quis ſit. Nam loculum, in F quo Apis conditus ſit, Alexandriam eſſe translatum: & Serapidem dici, quaſi loculum Apidis, σορὸν ἄπιδος. Hujus ædes ab Alexandro condita eſt, ingens, & ſplendidiſſima. *Suid. Sigebert.*

MARCELLUS, accepto mandato ab Imp. Theodoſio, Jovis templum apud Apameos evertit. *Theodoret. l.5. c.21.*

Conſtantinopoli, cùm Theodoſius abeſſet in provinciis Occidentalibus, Judæi à præfecto urbis homine ethnico, muneribus, & blanditiis impetrant, ut ſibi liceret ſynagogam in foro ærario extruere. Et cùm eſſent in opere, populus præfecto maledicit, ob impietatis conceſſionem. Verùm illa convitia nihil curat, & Judæi intereà ſynagogam perficiunt. Facta ſeditione, Populus ſynagogam incendit, & cremavit. *Ambroſ. l.5. Epiſt. 20. ad Theodoſium*, videtur innuere, Epiſcopum Conſtantinopolitanum pro auctore incendii eſſe habitum. Præfectus ad Imperatorem, quid accidiſſet, perſcribit. Is ſententiam adversùs incendiarios profert: quòd debeant ſumptus in ædificatione ſynagogæ factos, Judæis perſolvere: & id ſervitutis ferre, ut Judæi illic ſynagogam extruant, & poſſideant: G Hanc ſententiam cùm Ambroſius refutaſſet, & ob eam Imper. redarguiſſet, quòd pro Judæis contra Chriſtum pugnaret: Theodoſius Byzantiis mulctam remiſit, & Judæos intra urbem ſynagogam tenere vetuit. *Zonaras.*

THEODOSIUS Junior fana ſimulacrorum, ſi qua reliqua manſerant, funditus dirui imperavit, ne quod poſteritati veſtigium priſtini erroris compareret. *Theodoret. lib.5. cap.33.*

Jo. Chryſoſtomus monachos in Phœniciam conſenſu Imperatorum unà cum fabris miſit, & ſumptibus corrigatis à piis mulierculis aluit, ut idolorum templa, & lucos ſimulacrorum deſtruerent. *Theodoret. l.5. c.29.*

JUSTINIANUS Magnus Imperator omnia hæreticorum templa Chriſtianis attribuit, Arianorum exotionitarum exceptis. *Cedren.*

HERACLIUS Imperator templum Ignis, atque Pecuniæ Eridiſi Lydorum regis, & totam civitatem incendit, & multas ſtatuas Coſrois Perſarum regis. *Ivo in Chronico, Zonaras, Paul. Diac. l.18. rerum Romanorum.* De eo ſic ſcribit *Cedrenus*: Heraclius Garari fanum Solis ingreſſus, abominandum offendit Coſroæ ſimulacrum, & effigiem ejus in globi formam, H referente palatii tholo tanquam in cœlo ſedentem. Circumerant Sol, luna, & aſtra, quibus ille ſuperſtitioſus tanquam diis ſerviebat, circumſtantibus ſibi angelis ſceptrigeris. Machinas porrò impius paraverat, quæ eo ex loco guttas pluviæ inſtar emitterent, ſonitumque tonitrus æmulum ederent. Hæc omnia, ipſamque Ignis ædem, & totam urbem combuſſit Heraclius.

Divus Benedictus cum paucis monachis venit in Caſſinum montem Italiæ, & Apollinis idolum, quod à ruſticis celebrabatur, cum ara, & luco deſtruxit, & monaſterium ibi ædificavit, & vicinos populos continua cœleſtis doctrinæ prædicatione, atque miraculis ad Chriſti fidem convertit. *Chron. cœnobii Caſſinenſis l.2. c.1. Gregor. l. Dialogorum.* Idem in ſede Varronis aram dæmonum ſubvertit, & ſibi monaſterium ibi ſtatuit. *Leo Hoſtienſis hiſtoriæ l.1. c.1.*

S. Martinus in vico Aquitaniæ, cui Libroſo nomen erat, templum profanum adorſus demoliri, à magna paganorum manu cum ignominia rejectus eſt. Mox implorata divina ope,

cum

cum duobus angelis reverſus, antiquam ædem diruit; idola
A cunctis ſpectantibus planè diffregit, quo quidem ſpectaculo, ad veram fidem univerſa turba converſa eſt. *Bonfinius lib. 4. Dec. 2.*

Magdeburgi, Carolus Magnus fanum Veneris, unde caſtrum illud nomen habebat (Hæbraicè enim Megede Venerem notat) ſubvertit, & ædem ſacram in Stephani honorem extruxit, quam tamen Vandali paulò poſt ſubverterunt. *Albertus Crantz. in Saxonia l. 1. c. 13. & in Metropoli l. 1. c. 3.* Idem apud Saxones in Soltueddel deſtruxit idolum Solis, anno Domini DCCCVII. Chronicon Saxoniæ. Heroburgium fuit templum Hermionis, Saxonibus vetuſta religione auguſtiſſimum, quò frequens populus coibat, & vota reddebat. Multa ibi opulenta regum, populorumque viſebantur munera. Saxones Hermanni Sal vocabant, id eſt, aulam, ſive baſilicam Hermanni, Hermioniſve. Is fuit quintus Germaniæ Magnæ rex, pronepos regis Manni, filii Tuiſconis, parentis Germanorum. Ipſum Germani ob bellica facinora in numerum Deorum retulerunt. Ejus fanum Carolus diripuit, & militibus aurum, & argentum diſtribuit, delubrum incendit, diruit, & ſolo æquavit, ut ne veſtigium quidem ejus appareret. *Aven-*
B *tinus l. 4. Annal. Bojorum.* Aliis dicitur Irmenſul, ſtatua Hermionis. *Aimonius l. 5. c. 69.*

Adolphus Holſatorum comes, & Nicolotus Obtritorum princeps, Kyzinorum, & Circipanorum fanum celeberrimum cum idolis ſubverterunt. *Helmod. c. 72.*

SACRA SUPERSTITIOSA Sublata.

☞ *Vide ſupra, Idola everſa, quatenus Sacrorum, quoque mentio fit.*

Barbaros quoſdam Bletoneſios, cùm eos hominem immolaſſe diis Romani accepiſſent, exciverunt eorum magiſtratus, ut in eos animadverterent. Qui ut certa lege hoc ſe demonſtrarunt feciſſe: illos quidem noxæ exemerunt: verùm id in poſterum vetuerunt: cùm tamen ipſi, non multis antè annis viros duos, & duas feminas in foro Boario, alteros Græcos, alteros Gallos, ſub terra vivos demiſiſſent. *Plut. in Quæſt.*
C *Rom.*

DIERUM NOMINA Superstitiosa Mutata.

Sylvester I. Pontifex, vanorum deorum memoriam abhorrens, ſtatuit, ut dies hebdomadæ, qui anteà nominibus Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, & Saturni dedicati eſſent, ad numerum feriarum digererentur, vocarenturque prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta feria, ad eum propè modum, quo apud Hebræos dies hebdomadæ ſabbatorum diſtincti fuerant. Saturni verò diem antiquo legis vocabulo ſabbatum, quod requiem ſignificat, & primam feriam, quæ in locum Solis ſubiecta erat, ut diem Domino ſacrum, Dominicum appellari voluit: idque feciſſe dicitur rogatu Conſtantini principis. Quanquam Apoſtoli primò eum diem Domino conſecrarant, quòd Servator noſter eo die à mortuis reſurrexiſſet, atque otium ſabbati, id eſt, otium, ſicut ait Orig. ab operatione peccati, in eundem verterant, ut perinde apud nos Dominicus eſſet, ac ſabbatum apud Judæos fuerat. *Polyd. lib. 6. cap. 5. de rerum Invent. Niceph. in Græca laudatione Conſtantini* docet, dierum nomina, quæ à planetis VII. cognominabantur, in hæc, quæ nunc à Chriſtianis uſurpantur, auctore
D Conſtantino principe, eſſe mutata. *Cuſp.*

MONUMENTA VETUSTATIS Sublata.

Gregorius Magnus Papa Mauricio imperante, fertur præcipuas Romæ ſtatuas, & quicquid erat mirandi operis, in Tyberim præcipitari juſſiſſe, ne mortales à religione nuper inſtituta, ſua ſpecie diſtraherent. *Volat. lib. 2. Anthrop.*

LUDI SUPERSTITIOSI Sublati.

Constantinus Magnus Imperator anno CCCXIII. Ludos Seculares, qui in eum annum ſolemni repetito temporum ſpacio incidebant, tanquam ſacris Chriſtianis adverſos, Romæ fieri vetuit, atque in perpetuum ſuſtulit. *Sigon. lib. 3. Imp. occid. ex Zoſimo.*

LIBRI IMPII ABOLITI.

Hebræi tradunt, Salomonis librum de Vi, & proprietate E
animantium, plantarum, lapidum, herbarum, metallorumque omnium, ex mandato regis Ezechiæ crematum fuiſſe, ne ad idololatriam ratione iſta homines adducerentur. *Bodinus Dæmonomaniæ, cap. 2.*

P. Corn. Lentulo, M. Bebio Pamphilo Coſſ. in agro L. Petilii ſcribæ, dum cultores agri altiùs terram molirentur, libri Numæ de jure Pontificio, ac diſciplina ſapientiæ reperti ſunt. Primò ab amicis, qui in re præſenti fuerant, lecti libri: mox pluribus legentibus cùm vulgarentur, Q. Petilius Prætor urbanus, ſtudioſus legendi, eos libros à L. Petilio ſumpſit. Lectis rerum ſummis, cùm animadvertiſſet pleraque ad diſſolvendam religionem eſſe, L. Petilio dixit: Seſe eos libros in ignem conjecturum eſſe, priùs quàm id faceret, ſe ei permittere, ut ſi quod jus, ſive auxilium habere ſe ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur. Scriba Tribunos plebis adiit: res à Tribunis ad Senatum rejecta eſt. Prætor ibi cùm ſe jusjurandum dare paratum eſſe diceret, libros eos legi, ſervarique, non oportere: Senatus cenſuit ſatis habendum, quòd Prætor jusjurandum pollicetur, libros primo quoque tempore in comitio cremandos eſſe: precium pro libris, quantum Q. Petilio F
Prætori, majorique parti Tribunorum pleb. videretur, domino eſſe ſolvendum. Id ſcriba non accepit. Libri in comitio igne à victimariis in conſpectu populi cremati ſunt. *Livius Dec. 2. l. 10.*

☞ *Vide Locum de Libris.*

CADAVERUM CULTUS Sublatus.

D. Martinus Epiſcopus Turonenſis, cùm non procul à ſuo monaſterio defuncti cujuſdam incerti oſſa colerentur, ne temerè auctoritate ſua ſuperſtitionem aliquam confirmaret, quodam die acceptis ſecum aliquot fratribus, ad locum illum pergit: Deique numine invocato, orat ut rei veritatem ſibi pateſaceret. Aſſiſtit ergo ad lævam ſordida umbra, quæ nomen ſuum edit, & de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe, & ob ſcelera necatum: vulgi errore celebratum pro martyre. Ocyus igitur Martinus aram tolli juſſit, & cùm ea errorem. *Severus Sulp. in ejus vita.*

Salomonis liber remedium cujuſvis morbi, veſtibulo templi
G Hieroſolymitani inciſus fuiſſe dicitur. Eum revellit Ezechias, quòd populus neglecto Deo, nec invocato, ſanationem malorum inde peteret. *Suidas.*

REMEDIA SUPERSTITIOSA, vel Impia tollere.

☞ *Ex Tit. Magiæ odium, huc quædam.*

FACTA IMPIA, VEL Superſtitioſa reſciſſa.

D. Auguſtini mater Monica, Mediolanum veniens, pro more Africano pultes, & panem, & vinum afferens, ad memoriam martyrum, juſſu D Ambroſii Epiſcopi ab oſtiario prohibita fuit inferre, tum quia hæc veluti parentalia Gentilium ſuperſtitioni affinia eſſent, tum ne ebrioſis occaſio daretur ſeſe ingurgitandi. *D. Auguſt. l. 6. Confeſſ. cap. 2.*

Agathoſa Panormitana, conqueſta apud D. Gregorium Papā maritum ſuum ſe invita monachum induiſſe. Scribit proinde ille Adriano Epiſcopo Panormitano, ut maritum reddat uxori,
H ne illius converſio uxori relictæ in ſeculo fiat perditionis occaſio: ſubiiciens. Etſi mundana lex præcipit, converſionis gratia, utrolibet invito poſſe ſolvi conjugium: divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis cauſa, viro uxorem dimittere nulla ratione conceditur: quia poſtquam copulatione conjugii viri, atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte in ſeculo remanere. *Lib. 9. Epiſt. 44.*

Ingeltrudis, cùm monaſterium puellarum inſtituiſſet, Bertegundæ filiæ ſuæ mandatum miſit: Relinque virum tuum, & veni, faciam te Abbatiſſam gregi huic, quem collegi. Cùm autem illa cum marito veniſſet, juſſit eum redire ad liberos, & dixit: Non videbit regnum Dei conjugio copulatus. Sed Gregorius Turonenſis, ea re cognita, ad monaſterium acceſſit, & legit canonem Nicenum: Si quis reliquerit virum, & thorum, in quo bene vixit, ſpreverit, dicens: Quia non ſit ei portio in illa cœleſtis regni gloria, qui fuerit conjugio copulatus: anathema ſit, & hoc modò perſuaſit Bertegundi, ut ad maritum rediret. *G. Turonenſis l. 9. c. 34.*

Leonem

Leonem Cartharium, ob fornicationis ſuſpicionem uxor
A reliquerat, & cœnobium ingreſſa fuerat. Poſt cùm ille ſe ſacramento purgaſſet, ad eum ſpontè redierat. Eo nomine à Secundino Tauromitanenſi Epiſcopo, quòd ſe inconſulto rediiſſet, toti Carthari familiæ ſacris interdictum fuerat. At D. Greg. Papa familiam accenſura exemit: mulierem verò ob vanam ſuſpicionem ſuſpenſione quidem dignam judicavit, ſed non longa. *Lib. 8. Ep. 22.*

Innocentius II. à Lothario Imperatore reſtitutus contra Anacletum II. Antipapam, Bernardum Clarevallenſem Abbatem ſibi, ac laboranti Eccleſiæ vocavit opitulatum. Profectus Romam Bernardus, cùm ſe in ſermonem, ac conſuetudinem hominum inſinuans reperit, clerum pertinaciam retinere, quòd contractam infamiam exhorreſceret: propinquos Anacleti, quòd principem familiæ ſuæ dehoneſtare non ducerent convenire: reliquos verò, quòd ſe ſacramenti religione aſſererent obligatos: Nolite dubitare, inquit. Nam omnes impietatis collationes ſacrilegæ ſunt, nec jurejurando ullo fulciri poſſunt: neque convenit, ut veritatis ſacramenta ulli mendacio ſuffragentur. Quibus vocibus icti multi ab Anacleto ſe removerunt, atque ad Innocentium conceſſerunt. *Sig. lib.*
B *11. regni Italici.*

* CORRECTIO. CORREPTIO Fraterna.

Symbola, Et Significatio.

Correctio, Græcè ἐπανόρθωσις, dicitur. Hebr. *Muſar*, *Moſar*, Diſciplina, caſtigatio, à verbo *Juſar* Caſtigavit, corripuit, correxit, plerumque de reali correctione intelligitur. Cognationem habet cum verbo *Aſar*, ligavit, vinxit, & cùm *Muſar*, tradidit: item cum *Sor*, receſſit, nam vinculis, & carceribus caſtigantur rebelles ad ſuſcipiendum doctrinas, & traditiones bonas, ut recedant à malo. Eſt autem correctio fraterna, admonitio charitativa fratris, de emendatione peccatorum, ex fraterna charitate procedens, *ſecund. B. Thom. 4. Sent. diſt. 19. q. 2. art. 1.*

Diſtinguunt nonnulli inter correctionem, & correptionem, quod corripiamus, ut corrigamus? ita *Aug. l. 1. de Civitate*
C *cap. 9.* Alii cùm *S. Thom. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 1.* dicunt correctionem eſſe prælatorum, & actum juſtitiæ: at correptionem eſſe fratris, & actum charitatis, ac miſericordiæ.

Dicitur autem correptio fraterna, quia fiat in bonum fratris delinquentis, vel certè, quia non fiat à Judice, ſed fratre. *D. Chryſ.* inquit: non videtis medicos quando urunt, vel ſecant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? Multò ampliùs corripientem oportet agere. Etenim correptio & igne, & ferro vehementius operatur, & reſilire facit eos, quibus offertur. Hæc circa ægrum medici etiam ſtudent primùm, quatenus poſſint ægrum facere, ſectionem æquanimiter tolerare: quantum poſſunt, leniter agunt, & aliquantulum requieſcentes, ægrum faciunt recreari. Sic ergo oportet correptiones efficere, ut & qui corripiunt, non reſiliant, ac ſi eos injuriari proveniat, ac ſi percuti, non debent abhorrere. Nam qui ſecantur adverſus eos, à quibus ſecantur, multa reclamant, ſed illi nihil impediuntur, ſed tantùm ægrotantium conſulunt utilitati, & ſoſpitati. Sic etiam hic cuncta gerenda ſunt. *Homil. 30. ad Hebr.*

D * CORRECTIONIS FRATERNÆ Exempla S. Scripturæ.

Ubi etiam de illis, qui intrepidè, & fortiter vitia Magnatum redarguerunt.

Corripere proximum, vel reprehendere, eſt opus miſericordiæ. Unde charitativè, & manſuetè compeſcuit Abraham jurgium, quod erat inter paſtores ſuos, & paſtores nepotis ſui Loth. *Gen. 13.*

Dulciter, & benignè increpabat Loth Sodomitas, licèt illi non acquieverint ei. *Gen. 19.*

Poſtquam juraverat Abraham Abimelech, quòd faceret ei miſericordiam, continuò ſequitur: Et increpavit Abimelech. *Gen. 21.*

Ruben, & Judas temperaverunt furorem fratrum ſuorum, ne occiderent Joſeph. *Gen. 37.*

Moyses injuriantem Hebræorum charitativè corripuit, ſed ille iniquè tulit, & ad injurioſa verba prorupit. Numquid occidere me vis? *Exod. 2.*

Videns Jethro populum expectantem judicari per Moyſen dixit: Stulto labore conſumeris. Et nota. Quomodò tantus E
homo gentilis hominis monitioni acquievit. *Exod. 17.*

Phinees filius Eleazari, & cæteri nuntii fratres ſuos, qui ædificaverant altare in ſcandalum filiorum Iſrael, diſcretè arguerunt, & ſatisfactionem libentiſſimè ſuſceperunt. *Joſu. 22.*

Miſerunt nuntios filii Iſrael ad tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines, qui hoc flagitium perpetraverunt. *Jud. 20.*

Increpando Jonathas patrem ſuum Saul, pro iniqua perſecutione David, ejus malitiam aliqualiter in principio temperavit. *1. Reg. 19.*

Volens Abigail arguere virum ſuum ſuper duritia, quam oſtenderat nuntiis David, noluit quidem ſtatim dicere poſt prandium: ſed expectavit tempus opportunum ſolùm uſque ad craſtinum, cùm priùs vinum bibitum digeſſiſſet. *1. Reg. 25.*

Abner bene arguebat Aſahel, qui nimis urgebat perſequendo eum, ſed ille audire contempſit, & propter hoc occiſus fuit. *2. Reg. 2.*

Nota, quàm diſcretè arguit Nathan propheta David, cùm F
peccaſſet, adulterium, & homicidium committendo: non enim cum furore dixit: Peſſimè feciſti, ſed aſſumpta ſimilitudine congrua illaqueavit eum verbis oris ſui.

Cùm magno zelo arguit Elias populum, dicens: Si Dominus Deus eſt, ſequimini eum. Ut quid claudicatis in duas partes? *3. Reg. 18.*

Reprehenſurus regem Achab, Regem Iſrael, vir quidam de filiis prophetarum, propoſuit ei ſimilitudinem, per quam cognovit rex peccatum ſuum. *3. Reg. 20.*

Cùm magna libertate dixit Eliſeus ad Joram regem Iſrael, exercitu circumſtante. Si non erubeſcerem vultum Joſaphat, non attendiſſem te, nec reſpexiſſem, *4. Reg. 3.*

Sacerdotes reſtiterunt Oziæ Regi Juda volenti adolere incenſum; & dixerunt: Non eſt tui officii, ut adoleas incenſum. *2. Par. 26.*

Cùm magno ardore corripuit Eſdras filios tranſmigrationis, qui duxerant alienigenas contra legem. *1. Eſdr. 9. & 10.*

Nehemias audiens clamorem populi, propter gravamina, G
quæ patiebatur à divitibus, increpavit optimates, & magiſtratus. Idem facit pro eo, quòd multi portando onera, diem Sabbati profanabant. *Nehem. 5.*

Irridebant Tobiam parentes, & cognati ejus, at ipſe increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, filii Sanctorum ſumus, &c. *Tob. 2.*

Audiens Judith propoſitum civium ſuorum, quòd poſt quinque dies volebant civitatem tradere Aſſyriis, reprehendit eos ſermonibus fidelibus, & diſcretis. *Judith. 8.*

Daniel valdè diſcretè arguit regem Balthaſar exemplo patris ſui. Et nota, quàm patienter rex illum audivit, licèt dixiſſet contra eum, & poſteà ipſum magnificè honoravit. *Daniel. 6.*

Cùm miro fervore dicebat Joannes Baptiſta Phariſæis, & Sadducæis, progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? *Matth. 3.*

Dicebat Joannes Herodi adulteranti cum Herodiade uxore fratris ſui: Non licet tibi illam habere. *Matt. 14. Marc. 6.*

Indiſcretè, licèt piè, voluit Dominum Petrus increpare cùm diceret oportere eum pati à principibus, ſed Dominus durè H
reſpondit. Vade poſt me Sathana. *Matt. 6.*

Veram, & certam dedit Dominus regulam Petro de correctione fraterna: Si peccaverit in te frater tuus, corripè eum inter te, & ipſum ſolùm. *Matt. 18.*

Unus de his latronibus, qui pendebat blaſphemabat Dominum Jeſum reſpondens. Alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, &c. nos digna factis recipimus, &c. *Luc. 33.*

Pulchrè arguebat, & convincebat Phariſæos ille cæcus natus, à Domino illuminatus, dicens: Mirabile quidem eſt, quòd vos neſcitis unde ſit ille homo, & aperuit oculos meos. A ſeculo non eſt auditum, quòd aperuit quis oculos cæci nati, niſi hic eſſet à Deo, non potuiſſet facere quicquam. *Joan. 9.*

Videns Petrus quoſdam Judæos admirantes, & diſcipulos deridentes, diſcretè, & confidenter arguit illos, & inſtruxit, & ad fidem convertit. *Act. 2. & 3.*

Simile accidit *c. 4. Act.* poſt ſanationem Claudii: & culpas eorum ipſe oſtendit, & aliqualiter excuſans eos, multa dulcia

verba

verba dixit, ita quod converſi fuerunt quinque millia hominum.

Durìſſimè increpavit Petrus Ananiam, & Saphiram, pro eo quòd fraudaverant de precio agri, quod vendiderant, & partes ad pedes Apoſtolorum poſuerant. *Act.* 5.

Stephanus in conſilio Judæorum exiſtens confidenter increpabat eos, dicens inter cætera: Duri cervice, & incircunciſi corde, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem prophetarum non perſecuti ſunt patres veſtri? *Act.* 6. *&* 7.

Simonem magum pro dono Dei pecuniam offerentem Petrus terribiliter increpavit, dicens; Pecunia tua tecum ſit in perditionem. *Act.* 8.

Paulus intuens Elymam magum, qui nitebatur avertere proconſulem à fide, dixit illi: O plenè omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias domini rectas? *Act.* 13.

Miro diſcretionis modo Paulus arguit Romanos ex gentilibus, & Judæis converſos, qui ſuperba commotione dolebant ſe alterutrum ſupponere. Oſtendit autem utroſque peccaſſe, & glorioſa Dei miſericordia indigere. Nam & Gentiles legis naturalis, & Judæi legis Moſaicæ fuerant tranſgreſſores. Cauſati ſumus, inquit Judæos, & Græcos, id eſt, Gentiles, & circunciſos omnes ſub peccato eſſe. *Rom.* 1. 2. *&* 3.

Corinthios arguit de hoc præcipuè, quod Chriſtus in eis dividi videbatur, dicente uno. Ego ſum Apollo: alio, ego Cephæ. Ita etiam, qui diſſimulabant inter ſe fornicatorem, qui tenebat novercam ſuam. 1. *Cor.* 3. *&* 5.

Item, quia apud infideles judices de ſecularibus negotiis litigabant. 1. *Cor.* 6.

Reprehendit eoſdem circa Euchariſtiæ ſumptionem. Et de errore circa mortuorum reſurrectionem. *Cap.* 15. 1. *Cor.* 11.

Eoſdem increpat de hoc præcipuè, quòd illi multa gravia à pſeudoapoſtolis ſuſtinebant, & ipſum non habebant in tanta reverentia, ut debebant: Suſtinetis, inquit, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, &c. 2. *Cor.* 11.

Item, Ego debui à vobis commendari. Nihil enim minùs fui ab his, qui ſunt ſuprà modum Apoſtoli. 2. *Cor.* 12.

Galatas acriter, & ferventer arguit ſuper hoc, quòd poſt acceptam veritatem Evangelii volebant ad circumciſionem, & legales oblationes reverti: ò inſenſati, ait, Galatæ, quis vos faſcinavit? &c. *Galat.* 3.

Audierat Apoſtolus quoſdam de Theſſalonicenſibus ambulare inquietè. Idcircò corripi tales mandat. 2. *Theſſ.* 3.

* Exempla Historica.

S. Amandus Epiſcopus Argentinenſis, cùm aliquando Romam veniſſet, in Eccleſia S. Petri pernoctavit, ubi ei apparuit S. Petrus, juſſitque ut pergeret ad Dagobertum Regem, ac de peccatis ſuis eum corriperet: quod & fecit. Et cùm illi verbum ſalutis prædicat, regno extruditur. Sed tandem reſipiſcenti Dagoberto Amandus gratus fuit. *Naucl. tom.* 2. *gener.* 21.

S. Iſaacius, qui circa Conſtantinopolim monaſticam caſam habuit, cùm aliis rebus vir bonus, tum quodvis adire diſcrimen propter Deum promptus, & paratus, cùm Valentem unà cum exercitu exeuntem videret, ad eum acceſſit, & manibus frenum equi, quo ille vehebatur, arripuit, & voce magna dixit: Quò, ò Imperator, proficiſceris, qui adversùs Deum bellum geris, neque illius opem tecum trahis? Nam ille quodammodò contra te barbaros excitavit, quoniam & tu adversùs illum impiorum hominum peregrinas, & blaſphemas linguas exacuiſti, eoſque, qui pro eo, atque decet, de illo opinantur, atque illum ritè laudibus ferunt, ex ſacris ædibus ejeciſti. Redde igitur rectè ſentientibus, & ſinceræ fidei Nicænæ decretum ſervantibus, quas ademiſti Eccleſias: & labore nullo victor in bello evades. Si enim tu adverſari illi deſieris, & quieveris, quieſcet ſcilicet & ille, quem tu oppugnas. Sin verbis hiſce contemptis, in aciem perveneris, re ipſa experiere, quàm durum ſit contra ſtimulum recalcitrare, & in cœlum impotentem linguam tollere. Neque enim ipſe redibis, & quas tecum ducis copias, perdes. Imperator autem vehementiore ira commotus: Ego verò, inquit, redibo cum præclaro trophæo; & dignas à te temeritatis tuæ ſumam pœnas, prædictionemque tuam falſam eſſe oſtendam. Et confeſtim juſſit hominem comprehendi, & in cuſtodia aſſervari, donec rediret. At ille abductus vociferabatur: Eneca etiam, inquiens, ſi mendacia eſſe deprehenderis verba mea. Num autem ad rem collata ſint ſancti viri dicta, res ipſa geſta declarabit. Valens enim Imperator cum copiis eſt egreſſus, barbari converſi retroceſſerunt: quos ille inſequens, Thracia poſt ſe relicta, Adrianopolim venit, quæ in Macedoniæ finibus ſita eſt. Atque ubi non longè ab hoſtibus abfuit, cùm ipſi in tuto eſſent, ex improviſo, ordinibus non diſpoſitis, atque acie pro eo, atque debuit ſtructa, eos eſt adortus. Cùm verò barbari confertim ruentes, equitatus ejus impetum, & impreſſionem diſtraherent, & graviorem armaturam in fugam verterent, alius aliò ſe recepit: hoſtes autem eis imminentes, metu nullo, cædem multam fecere. Imperator quoque ipſe, cùm ex equo per deſperationem ſummam deſcendiſſet, quantum poterat fugiens, in quandam villæ domunculam ſtramentis contectam, cum paucis, qui eum ſecuti fuerant, latere ibi volens, ſe abdidit. Barbari autem impetu, & celeritate maxima inſequentes, ſicuti alia, ad quæ venerant, tecta, ita & domunculam iſtam incenderunt: cùm quidem, ut dicitur, nihil de Imperatore ſuſpicarentur. Sic illi unà cum vico eo veritatis etiam hoſtem in cineres redegerunt. Quo tempore fama eſt, Deo dilectum virum Iſaacium, cùm Valentem in domuncula ea aſſum ſentiens, nidore ejus repletus, eis qui ſecum in cuſtodia erant, annuntiaſſe. *Niceph. l.* 11. *hiſtor. Eccl. cap.* 50.

Macedonius vita inſignis monachus, vir tum rerum, quæ in communi vita geruntur inſcius, tum litterarum ſacrarum prorſus ignarus, in montium verticibus vitam agens, noctes, dieſque omnium Salvatori ſynceras preces offerre ſolebat; qui, neque Imperatoris violentiam pertimeſcere, neque de poteſtate eorum, qui miſſi fuerant, laborare viſus: ſed in media urbe, prehenſo alterius Judicum pallio, ambos ex equis deſcendere jubet. Illi verò cùm viderent ſenem ſtatura exigua, pannis ſordidis amictum, primò indignari quidem: ſed ut primùm à quibuſdam illorum, qui antecedebant, viri virtutem didicerant, deſilire de equis, illius genua amplecti, veniam denique precari cœperunt. Macedonius divina imbutus ſapientia tali eos oratione compellat: Dicite, viri chariſſimi, Imperatori hæc verba: Non ſolùm Imperatorem eſſe eum, ſed hominem etiam. Itaque ne oculos tantummodò ad Imperium adiiciat, ſed ſuam ipſius naturam mente complectatur. Nam cùm homo ſit, imperet eis, qui ſunt ejuſdem naturæ participes: humanam autem naturam ad Dei imaginem, & ſimilitudinem eſſe fabricatam. Quare ne adeò crudeliter, & inhumanè imaginem Dei è medio tolli jubeat: nam bilem movet opifici, cùm ejus imaginem contumelioſè tractat. Conſideret enim, quàm iniquo animo tulerit ipſe æneam conjugis imaginem contumelia affectam eſſe: ſe tamen in imaginem Dei contumelioſum eſſe non dubitare. At quantum interſit inter imaginem inanimem, & animatam, vivam, ac rationis compotem, omnibus, qui ſunt mente præditi, perſpicuum eſt. Illud prætereà ſecum cogitet, nobis perfacilè eſſe, pro unà ænea imagine multas fabricare: ſed non poſſe eum omninò facere, vel pilum unum illorum, qui interfecti ſunt. Hac audita oratione, viri illi admirabiles eum ad Imperatorem retulerunt, *Ex Theodoreto lib. Eccl. hiſt.* 5. *cap.* 19. *Bar. tom.* 4. *Annal. ſub ann. Dom.* 388.

Ea tempeſtate, qua D. Amatus Abbas à fratribus ad perluſtrandas Auſtraſianorum urbes miſſus eſt, fuit vir nobilis in palatio, & in populo honoratus Romaricus, habitu quidem laicus, ſed animo religioſus: ad cujus ædes divino nutu præfatus S. Amatus Abbas divertit. Eum intuens Romaricus, inprimis reverenter, & honorificè excepit. Cùmque jam menſa apparata eſſet, inter epulas hortabatur eum, ut expetenti, & deſideranti ſibi verbum ſalutis exponeret. Mox ille, ut erat promptus, & circumſpectus in ſermone, ita locutus eſt: Cernis hunc diſcum argenteum? Quàm multos ille, & antehac habuit, & deinceps habiturus eſt ſervos? Et tu ipſe, velis nolis, nunc ſervus illius es: ſiquidem ſervandi ejus cauſa eum poſſides. Et ille quidem nunc ex ſe edentibus æqualem navat operam, ſed à te, qui eum nunc ſervas, de illo quandoque ratio exigetur. Scriptum namque eſt: aurum, & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit. Et ipſe Dominus ait: Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Hæc cùm S. Amatus dixiſſet, Romaricus ait ad eum: Obſecro ſanctitatem tuam, ut aliquot diebus apud me maneas, dicaſque, quid faciendum mihi ſit. Quod enim jam olim anxius concupivi, Dei benignitate nunc completum iri gratulator S. Amatus reſpondit: Cùm ſis generis nobilitate ſublimis, opibus pollens, magno ingenio præditus, demiror te ignorare illud, quod, Dominus ſciſcitanti reſpondit, quid faciendo vitam æternam poſſideret. Dictum eſt illi: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: quæ cùm ille à ſua juventute ſe cuſtodiviſſe reſponderet, ſubjunxit Dominus: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me. Hæc ut audivit vir Domini Romaricus, amore, & deſiderio Dei inflammatus, paucis evolutis diebus ſprevit divitias, & quidquid hic mundus habet, & factus eſt monachus. *Sur. in vita D. Amati tom.* 5. *Septembr.* 13.

Correptio Sit Lenis.

Quid de Cretenſi illo Carpo memoria dignum *Dionyſ.* ſcribat ad Demophilum, hìc deſcribere non abſurdum exiſtimavi: Cùm aliquando, inquit, in Cretam veniſſem, ſanctus Carpus me ſuſcepit hoſpitio, vir ob eximiam animi munditiam ad Dei ſpeculationem ultra fermè omnes aptiſſimus. Denique nunquam ſancta myſteria celebrare cœpiſſet, niſi priùs inter eas preces, quæ anteà conſummantur, ſacra illi, ac propitia viſio apparuiſſet. Hunc igitur (ut ipſe referebat) infidelis quiſpiam contriſtaverat aliquando. Erat autem cauſa triſtitiæ, quòd ille quendam ab Eccleſiæ fide ad impietatis errorem adduxerat. Cùmque ejus celebritatis, quàm vulgus Hilaria vocat, agerentur dies: qui debuerat pro utriſque benigniſſimè orare, atque Dei Salvatoris auxilio alterum ab errore convertere, alterum bonitate ſuperare, nec deſiſtere, quin eos admoneret per omnem vitam, donec pœnitentiæ tempus ſupereſſet, & ita eos ad Dei cognitionem attrahere; ut jam tandem quæ illis erant ambigua & obſcura, pateſcerent, & ab iis, quæ præter rationem audenter admiſerant, reſipiſcere legitima ſeveritate cogerentur: neſcio quo pacto (cùm intra ſemetipſum id anteà paſſus non eſſet) tunc vehementem indignationem imbiberat animo. Sic itaque affectus obdormivit, erat enim veſpera. Cùm verò circa mediam noctem, quo tempore conſueverat ipſe ſemper apud ſe ad divinos evigilare hymnos, exſpergiſcitur quidem, & ſurgit, cùm ſomnos parum quietos, & crebrò interruptos, nec abſque perturbatione cepiſſet. Stans tamen ad divinam precem, & collocutionem non ſatis intentè, irreligioſè triſtabatur, & ferebat graviter, iniquum eſſe dicens: Si impii homines, & qui vias Domini perverterent rectas, adhuc viverent: & hæc dicens, precabatur Deum, ut amborum vitam turbine aliquo, & fulmine prorſus extingueret. His dictis, repentè ſe vidiſſe referebat, domum, in qua conſiſtebat, primùm vehementer agitari, ac demum à ſummo culmine per medium dividi, & quendam ante ſe ingentis luminis rogum, eumque (videbatur enim jam ſub dio eſſe locus) à cœlo ad ſe uſque deferri. Cœlum verò iſtud patere conſpiciebat, ejuſque cardini Jeſum inſidere, innumeris illi humana ſpecie aſtantibus Angelis. Et iſta quidem vidiſſe, cùm supernè aſpiceret, & ſe eſſe admiratum memorabat. Ubi verò ad inferiora deflexit obtutus Carpus, ipſum quoque ſolum inſtar vaſti, ac tenebroſi cujuſdam profundi diſciſſum ſe vidiſſe ait, atque viros illos, quibus mala imprecatus fuerat, ante ſe ad os illius profundæ voraginis ſtare trementes, ac miſerabiles, & qui ipſa pedum ſuorum labilitate jam mergendi viderentur: porrò ab inferiori parte voraginis ſerpentes cernebat emergere; qui circa illorum pedes ita inſtabiles, ac nutantes, interdum quidem in globum colligi, & gravari unà, atque pertrahere; interdum verò dentibus, & caudis, ore, gutture, linguis, ac toto corporis motu vim immenſi pavoris viderentur incutere, ut qui modis omnibus deorſum illos præcipitare molirentur. Fuiſſe autem & viros quoſdam in medio, qui contra eos unà cum ſerpentibus impetum facerent, exagitantes unà, & impellentes, atque ferientes. Videbantur autem illi lapſui proximi partim vi, partim etiam inviti, partim etiam ſponte, cùm à malo ſenſim & cogerentur, ſimul & inducerentur. Referebat autem Carpus, dum inferiora aſpiceret, fuiſſe delectatum, atque ſuperiora neglexiſſe, graviter autem & indignè ferentem, quòd illi nondum cecidiſſent: & cùm ſæpius eo deſiderii ferretur impetu, eoſque ipſe niteretur impellere, ſemperque fruſtra moliretur, moleſtiſſimè tuliſſe, & contra eos imprecatum eſſe. Cùm ecce vix tandem revocatis ad ſuperna luminibus, vidit cælum, ſicut priùs aſpexerat, Jeſumque miſeratum quod fiebat, de cæleſti illa ſede conſurgentem ad eos uſque deſcendere, & porrigere clementiſſimam manum, Angeloſque unà opem ferentes aliunde alium tenuiſſe viros; ac dixiſſe Jeſum Carpo ſtanti porrecta adhuc manu: Jam percute adversùm me. Paratus enim ſum iterùm pro ſalvandis hominibus pati: gratum mihi iſtud eſt, dum non alii homines peccent. Tu autem inſpice, an tibi utile ſit hanc iſtius profundi, & cum ſerpentibus manſionem, Dei, ac bonorum, clementiumque Angelorum præferre conſortio. *Dionyſ. Areopag. ad Demoph. epiſt.* 8. *Baron. tom.* 1. *Ann. Eccl. ſub ann. Dom.* 39.

957. Redemptoris anno accidit in Oriente, ut nimia ſeveritate Epiſcopi presbyter à fide factus apoſtata, innumerabilia mala adversùs imperium perpetrarit: rem geſtam ſic breviter proſequitur Curopalates: Cùm autem Armetas Tharſi Dux Saracenorum contra Romanos cum exercitu profectus eſſet, atque in Herculis vicum milites deprædatum miſiſſet, quidam presbyter Themel nomine ſacrificium incruentum peragens, ut agnovit Saracenorum irruptionem, relicto ſacrificandi munere, ita ut erat indutus, manibus geſtans, Eccleſiæ myſterium, ſic eos, qui invaſerant, propulſavit, multos vulneravit, non paucos interfecit, reliquis in fugam verſis: & ab Epiſcopo interdicto ei ſacrificandi munere, poſtquam non impetravit veniam, ad Agarenos ſe contulit, & Chriſtianam fidem ejuravit, atque cum ipſis egreſſus non ſolùm Capadociam, & finitima loca vexabat, ſed etiam uſque ad Aſiam, quæ minor dicitur, pervenit: & quanta detrimenta intulerit, nec ſcribere quidem nobis fas eſt. *Baron. tom.* 10. *Annal. ann. Dom.* 957. 2. *Curopalate.*

De Cyriaco Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui ſibi Epiſcopi univerſalis nomen per ſummam ſimplicitatem uſurpaverat, ſola monitione contentus pœnas nullas ſumit. D. Gregorius Pontifex Maximus: ne ut, ait, Eccleſiæ unitatem perturbaret, pro cauſa profani vocabuli moras faciendo. *D. Greg. l.* 5. *Epiſt.* 24. *Epiſt.*

S. Joann. Epiſcop. nolebat unquam corripi alienos mores, aut vitia. Itaque domeſticos objurgabat graviùs, quod raptorem quemdam morte dignum judicaſſent. Dicebat autem: Et qui ſcitis, ſi ille jam peccare deſtitit, cùm vos non ceſſetis? Jure iſte vir ſanctus, cùm nemo ſciat, num amore, an odio dignus. *M. Marul. l.* 5. *Beyerl. in Apoph. Chriſt.*

Orentus Abbas montis Sina, Æternam quoque memoriam meretur apud poſteros. Dominica quadam die Eccleſiam ingreſſus eſt inverſo ſago, ita ut deforis totus villoſus appareret. Conſpicantur hoc religioſi, & Abbatem erroris monent, ac duriuſculè redarguunt, quòd ita comparuiſſet coram exteris. Quibus ille: Vos evertiſtis Sina, & nemo quidquam vobis dicit, at ego, quòd ſagum inverterim, dicitis: Quare convertit ſagum tuum? Ite, corrigite, quod evertiſtis, ego quoque corrigam, quod everti. *Prat. Spirit. c.* 126. *Beyerl. ſupr.* ☞ *Vide Tit. de Admonitione, Caſtigatione, & Reprehenſione.*

☞ *Conſulatur etiam Locus de libertate. Titul. Libertas Sancta.*

* Apophthegmata.

Zeno cuidam dicenti, Cur me unum omnium non corrigis? Non enim, inquit, tibi credo. Subindicans, ſibi non eſſe ſpem, illum, ſi corriperetur, fore meliorem. *Laert. l.* 7. *c.* 1.

Cùm Gallus, qui teſtimonium ferebat contra Piſonem, dixiſſet, innumerabilem pecuniam Magio præfecto datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: Erras, inquit, Scaure. Ego enim Magium non conſervaſſe dico, ſed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abſtuliſſe. Correxit ſermonem ſuum Gallus, ſed ita, ut crimini corruptelæ crimen adderet luxui. *Lib.* 6. *Apophth.*

Horat. Epiſtolar. lib. 1. epiſt. 1.

Fervet avaritia, miſeraque cupidine pectus;
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello,
Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeò ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo cultura patientem commodet aurem.

Menander.

Omnes ſumus in admonendo ſapientes.
Nos verò ipſos aberrantes non cognoſcimus,
Facilius admonere quàm monentem tolerare.

Puniendis peccatis tres eſſe cauſas exiſtimatum eſt. 1. Cùm adhibetur pœna, caſtigandi atque emendandi gratia, ut is qui deliquit attentior fiat, correctiorque. 2. Cùm dignitas ejus, authoritaſque, in quem peccatur, tuenda eſt, ne prætermiſſa animadverſione contemptum ei pariat. 3. Propter exemplum, ut cæteri metu pœnæ terreantur. *Gell. lib.* 6.

* CORREPTIONES MALE FERRE, Inique Accipere.

Exempla eorum, qui reprehenſiones, & monita aliorum ægrè tulerunt.

Exempla S. Scripturæ.

Agar ancilla Saræ non ferens correptionem dominæ ſuæ, quæ affligebat eam propter ipſius ſuperbiam, fugam inivit, ſed ad mandatum Angeli rediit. *Gen.* 16.

Achab cùm ab Helia argueretur propter iniquam mortem Naboth, maximo cum odio proſecutus eſt, dicens: Unde inveniſti mihi inimicum tibi? Cui dixit: Inveni. 3. *Reg.* 21.

Michæas Propheta quia ad gratiam Principum non eſt locutus, à Sedecia in maxillam percutitur, & ab Achab in carcerem conjicitur. 3. *Reg.* 22.

Cùm increpaſſet Hanan Propheta Aza Regem Juda, quia confuſus erat in Benadab Rege Syriæ, iratus eſt Aza, miſitque videntem in nervum. 2. *Paral.* 16.

Clauſit Hieremiam prophetam in domo carceris Sedecias Rex Juda, dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus? *Hierem.* 32. & 38.

Quia Daniel probavit Bel, & draconem non eſſe Deos, Babylonii convenerunt adversùs Regem, & procuraverunt Danielem mitti in Lacum Leonum. *Dan.* 14.

Sara F. Raguelis unam de ancillis ſuis pro culpa increpabat, & illa nimis injurioſè reſpondit, dicens: Ampliùs ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum. *Tob.* 3.

Joan. Baptiſta dicebat Herodi, non licet tibi habere uxorem fratris tui Philippi Herodiadem. Id ægrè ferens Herodes in vincula conjectum interfecit. *Matth.* 14. *Marc.* 6.

Cùm Dominus increparet Hypocritas, & Phariſæos, cœperunt illi graviter inſiſtere, inſidiantes ei, & quærentes capere aliquid ex ore ejus. *Luc.* 11.

Phariſæi cæco nato, & à Chriſto Domino illuminato maledixerunt, & extra Synagogam ejecerunt, quòd veritatem conſtantiſſimè fateretur. *Joan.* 9.

Principes ſacerdotum audientes verba Apoſtolorum de doctrina Chriſti, cogitabant interficere illos, & cæſis denuntiarunt, ne ampliùs loquerentur in nomine Domini Jeſu: at illi gaudentes ibant à conſpectu concilii. *Act.* 5.

Exempla Historica.

Anno Dominicæ Incarnat. 493. aut circiter, dum Anaſtaſius Imp. in hæreſi, in quam delapſus fuerat, perſeveraret, Hormiſda Papa Symmachi ſucceſſor miſit ad eum Ennodium Ticinenſem Epiſcopum cum aliis Catholicis, ut eum reducerent ad regulam fidei Catholicæ. Sed ille non ſolùm eorum monita ſalubria ſprevit, verùm etiam à conſpectibus ſuis non ſine injuria expulit, navique veteri, fragilique impoſuit, & ne uſpiam per totam Græciam civitatem ullam intrarent, præcepit. Quam impiam ejus temeritatem divina mox ultio ſubſecuta eſt; nam brevi poſt tempore mortuus eſt, aut (quòd multi dicunt) fulmine percuſſus eſt. *Ulricus Abbas Urſpergenſis in Chron.*

De B. Ælfego legitur: quòd in die Cinerum, cùm de more pœnitentes de Eccleſiæ liminibus removeret, hortatus eſt eos, ut tempore Quadrageſimali, jejunio, & caſtitati vacantes diebus illis uxorum etiam deliciis abſtinerent. Quorum unus, cæteris Epiſcopi juſſionibus reverenter obtemperantibus, jocularì cœpit, dicens ſe abſtinere non poſſe à venere, à cibo pariter, & conjugio. Cui Epiſcopus: Contriſtas me miſer oppido, neſciens quid tibi pariat dies ventura. Et ſic homo ille procedens duram B. Ælfegi prophetiam nebulo experitur, dum poſteà luce in cubiculo ſit repertus exanimis, incertum, utrùm à diabolo ſuffocatus. *Bar. tom.* 10. *Annal. Eccl. ſub ann. Dom.* 947. 4. *ex hiſt. Flor.*

Quanto detrimento Dei amicorum deſpiciantur petitiones, & monita, terribili hoc patefactum eſt exemplo de Regina Giſa, quod ita ſubdit Eugyppius: Felitheus Rex Flacithei filius (qui & Feba paternam ſecutus induſtriam, ſanctum virum pro regni ſui cœpit frequentare primordiis) Hunc conjux feralis, & noxia, nomine Giſa, ſemper à remediis clementiæ revocabat. Hæc ergo inter cætera iniquitatis ſuæ contagia, etiam rebaptizare Catholicos aliquos conata eſt. Sed ob ſancti reverentiam Severini, non conſentiente viro, à ſacrilega quantocius intentione defecit: Romanos tamen, captivos ſcilicet, duris conditionibus aggravans, quos etiam Danubio jubebat abduci. Nam cùm quadam die in proximo à Favianis vicò veniens, aliquos ad ſe transferri Danubio præcepiſſet, viliſſimis ſcilicet miniſteriis ſervitutis damnandos, dirigens ad eam vir Dei, ut eos dimitteret, poſtulabat. Verùm illa facibus fœminei furoris exæſtuans, mandata reportari juſſit aſperrima. Ora inquit, tibi, ſerve Dei, intra cellam tuam deliteſcens: licèt nobis de ſervis noſtris ordinare, quod volumus. Audiens autem hoc homo Dei: Confido, inquit, in Domino meo Jeſu Chriſto, quòd neceſſitate explere compelletur, quod prava voluntate deſpexit. Velox itaque ſecuta correptio proſtravit animos arrogantis. Quoſdam enim aurifices barbaros pro fabricandis regalibus ornamentis clauſerat arcta cuſtodia (nam eos jure ſervitutis poſſidebat invitos.) Ad hos filius memorati Regis admodùm parvulus, nomine Fridericus, eo die, quo Regina ſervum Dei contempſerat, puerili motu concitus introivit. Tunc aurifices pectori infantis gladium impoſuere, dicentes, quod ſi quis ad eos abſque juramenti præſidio, quo vita cum libertate promitteretur, ingredi conaretur, parvulum regium primitus transfigentes, ſemetipſos poſteà trucidarent; quippe cùm ſibi nullam ſpem promitterent macerati diuturnis ergaſtulis. His auditis, Regina crudelis, & impia, veſtibus præ dolore conſciſſis, talia clamitabat: O Serve Dei Severine, ſic illatæ à Deo vindicantur injuriæ: Hanc mei contemptus ultionem effuſis precibus poſtulaſti, ut in mea viſcera vindicares? Itaque multiplici contritione, ac miſerabili lamentatione diſcurrens, fatebatur ſe pro ſcelere contemptus, quòd in ſervum Dei commiſerat, plagæ præſentis ultione percelli: confeſtimque directis equitibus veniam poſcens, Romanos, quos eadem die tulerat, pro quibus & rogantem contempſerat, tranſmiſit. Et abiens ad erga ſtulum, ubi aurifices operabantur dato eis ſacramento evadendi mortem, ſoſpitem ſuum recepit infantem. Mox & illi dimiſſi ſunt. *Ex Catechiſm. hiſtor. P. Antonii D. Auroultii. Tom.* 4. *c.* 28. *Baron. Tom.* 6. *ſub ann. Dom.* 473. *Eugyppius in vita S. Severini c.* 8.

CORRECTIO SUPERSTITIOSA.

☞ *Vide* Superſtitio, *Ubi multa de illo argumento.*

CORRECTIO MALORUM INJUSTA, Reſpectu Perſonarum, erga quas exercetur.

Erga Seipsum.

Adrastus, Gordii Phrygum Regis filius, cùm Atym filium Crœſi in venatione aprum petiturus imprudens occidiſſet, & Crœſus ejus erroris veniam dediſſet: ipſe tamen ſeipſum ſuper Atys buſtum transfodit. *Herod. l.* 1.

ERGA ALIOS. PUTA ERGA Homines.

☞ *Exempla Pete ex Tit. Scelerum variorum, ut Voracitatis, Adulterii, Proditionis, & ſimilium, quatenus pœnam ſceleris, vel divinitus, vel humanitus inflictam, ſed non à quibus oportebat, junctam habent.*

Ammon propter ſtuprum Thamar ſorori illatum ab Abſalon fratre in convivio interfectus eſt. 2. *Reg.* 13.

Orestes Clytemneſtram matrem ob interfectum patrem Agamemnonem interfecit, dignam quidem quæ interficeretur, ſed ipſe indignus qui interficeret.

Agesilaus rex Spartanus Sphodriam: qui Piræum perfidè contra pacem occupare ſtuduerat, capitis arceſſitum ab Athenienſibus, ut Archidamo filio, qui Sphodriæ filium Cleonymum amabat, gratum faceret, perſequi ceſſavit. Itaque abſoluto Sophodria, Athenienſibus armorum ſumendorum occaſionem dedit. *Plut. in Ageſilao.*

Alexandrum M. delato ad eum, aliquid ſorori cum formoſo juvene interceſſiſſe: non excanduit, ſed ait, permittendum illi quoque nonnihil frui regno. Parum rectè, qui talia indulgeret, neque ex dignitate ſua. Non eſt enim imperii diſſolutio, & petulantia fruitio appellanda. *Plut. in Præc. polit.*

Ptolemæus Ægypti Rex, propter illatas ſuis civibus injurias, cùm ad Romanos fugiſſet, pecunia eos ſibi concilians, Ægyptii ſtatim miſerunt legatos centum Romam, ubi regem accuſarent. Quod cùm Ptolemæus intellexiſſet, omnes veneno clàm necavit. Quòd ſcelus licèt crudele Pop. Rom. viſum ſit, nullas tamen pœnas ob Pompeii (qui ipſum defendebat) potentiam dedit. *Xiphil. in Pomp.*

Bello ſociali, cùm Albinum virum prætorium legatum L. Corn. Syllæ milites ipſius fuſtibus, & lapidibus oppreſſiſſent, connivit, neque vindicavit flagitium tantum: immò verò ſermonibus glorians diſtulit, promptiores ideò eos in bello habiturum ſe virtute peccatum eluentes. *Plut. in Sylla.*

T. Junius cohortis prætoriæ præfectus, penes Galbam Imper. plurimum poterat. Is Tigillinum Neronis magiſtrum, hominem impuriſſ. auro corruptus, flagitante cum populo ad cædem, interfectis reliquis, ſervavit. Nam cùm ſpectaculum populus Rom nullum perinde expeteret, atque Tigillinum rapi videret ad ſupplicium, neque deſiſteret in omnibus theatris, & circis depoſcere illum, Imperatoris edicto increpitus eſt. Tigillinum ſignificavit, quòd eſſet tabe confectus, haud diù ſuperfuturum: petere à populo ſe, ne efferret, neque tyrannicum efficiat principatum ſuum. Decepto hunc in modum populo. Tigillinus pro ſalute adepta ſacrificavit, & ſplendidum convivium apparavit. T. Junius ſurgens ab Imperatoris cœna ad illum conceſſit comeſſatum, ducens ſecum filiam viduam: cui propinavit Tigillinus duodecies H-S. & pellicum ſuarum primariæ monile juſſit collo ſuo detrahere, atque collo illius ſuſpendere, quod ſexcentis millibus nummorum diceba tur eſſe. *Plut. in Galba.*

Albinus Judææ procurator ſub Nerone, audito Geſſium Florum ſibi ſucceſſorem venire, videri volens gratificatus Hieroſolymitanis civibus, productis vinctis, quotquot erant in manifeſtè capitali culpa, juſſit interimi: reliquos, qui levioribus erant de cauſis conjecti in vincula, reductos in carcerem pecuniis mulctatos dimiſit alium poſt alium, atque in hunc modum vacuato vinctis carcere Judæa repleta eſt latronibus. *Joſeph. l.* 20. *c.* 9. *Antiqu.*

Judæi conventum celebrem habuere in Viſſenfelde, oppido Miſnenſis Marchiæ, circa ann. Salut. 1384. ex longinquis terris, eò venere, publica ſecuritate per itinera à principibus impetrata. Quidam militantes per inſidias captis omnibus, quibuſdam etiam cæſis, ingentem prædam abſtulere, ad quinque millia ſexagenarum de groſſis. Accuſati illi apud principes, interpoſita fide publica venere ad reſpondendum. Unus ex eis promptior ait: Jure, inquit, divino ac Eccleſiaſtico, non diſcrepante imperatoria lege, hoſtis Eccleſiæ, & ejus violator nulla debet immunitate gaudere. Quis autem neſcit quales ſint Judæi Eccleſiarum hoſtes? Et quoniam hoſtis terreni mei principis, hoſtis quoque meus jure optimo cenſeri debet: multò magis hoſtis æterni principis (quem etiam patrem invocamus) debet mihi publicus hoſtis haberi. Si quid ergo ex hoſte publico retuli, optimi principes, inter juſta debet ſpolia computari: nec ad cujuſquam, præter paſſi, pertinere debet injuriam. Delectati principes fucato militaris viri reſponſo illum abſolverunt, Judæis cum irriſione dimiſſis. *Crantz. l.* 9. *Vand. c.* 17.

Alexander, & Ariſtobulus Mariamnes matris necem in patre ulciſci injuſtè ſtudent. Sic etiam Fabricianus matrem: ſic Smirnæa mulier maritum interficit. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis ob mortem aliis illatam.*

Bruta.

☞ *Ex loco Crudelitatis huc quædam. Illic Iræ, hìc Inæqualitatis habetur ratio.*

Inanimata.

Theagenis ſtatua injuſtè à Thaſiis damnata. ☞ *Conſule Titul. Ultionis nimiæ erga ratione carentia.*

INJUSTA CORRECTIO PER SE Conſiderata. Vel Non Obita, Nulla. *Et vel* Erga Seipsum. Poenitentia Nulla, Emendatio nulla.

Bello Jugurthino, Turpilius præfectus fabrorum in exercitu erat: qui cùm præpoſitus præſidio Vaccæ magnæ urbis eſſet, quòd cives nulla re violaret, ſed eos leni, & benigno imperio haberet, confiſus, imprudens venit in hoſtium poteſtatem, ſiquidem Jugurtham in urbem acceperunt, nec Turpilium tamen ulla re læſerunt: ſed vita ei precibus impetrata, inviolatum dimiſere, qua de cauſa accuſatus eſt proditionis. Cùm de eo quæreretur, aderat in conſilio C. Marius legatus, ac tum acerbus ei erat, tum pleroſque alios in eum incendit, ut Cæcilius Metellus conſul hominem cogeretur invitus rei capitalis damnare. At paulò poſt apparuit falſum crimen. Ubi cùm multis eſſet dolor Metelli moleſtus, Maritum exultantem, & hoc factum ſibi arrogantem, non puduit in circulis dicere, Ultrices diras ſe hoſpitis interfectori inflixiſſe Metello. *Plut. in Metel.*

Erga Alios.

☞ *Conſule Tit. Injuſtos liberare, non punire.*

Refert Gellius, apud veteres Ægyptios (quod genus homines conſtat, & in artibus reperiendis ſolertes cum primis extitiſſe, & in cognitione rerum indaganda ſagaces) furta omnia indiſcriminatim fuiſſe licita, & proinde citrà ullam noxam, pœnamve. *Cæl. l.* 18. *c.* 1. *A. L.*

Carol. V. Imp. Muleaſſem regem Tunetanum, qui XX. fratres imperandi libidine, vel interfecerat, vel excæcarat, patrem veneno ſuſtulerat, in novercas, in ſubditos crudeliſſimus fuerat pæderaſtem putidiſſimum, à Barbaroſſa Solymanni claſſis præfecto regno ejectum, in integrum reſtituit, binoſque tantùm falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos tributi nomine quotannis impoſuit: ea conditione, ut Chriſtiani nominis amicus, Turcarum verò gentis perpetuus hoſtis, Cæſaris nomen coleret, & Guletano præſidio Hiſpanorum mille ſtipendium perſolveret. *Jov. l.* 33.

Triscanus Comes magus convictus ea feciſſe, quæ humana facultas non poteſt, nec ſpecioſam ullam rerum à ſe geſtarum rationem valens afferre, omnia ope Satanæ fieri confeſſus eſt, veniamque ſibi à Carolo IX. Galliarum Rege dare poſtulavit, plurimos ſe indicaturum pollicens. Rex ea lege indulſit poſtulanti veniam, ut conſcios deferret, affineſque ejuſdem criminis. Fecit, multorumque nomina, & cognomina quos noverat protulit: quos autem in cœtibus viſos de facie ſolùm cognoverat, eos ut agnoſceret, jubebat ſe in publicos conventus duci, humerumque aut aliam corporis partem in iis qui magicam calluerant, curabat inſpici, ut deprehenderetur ſignum: eos verò ex medio oculorum intervallo noſcebat: quibus ſignum deerat, & quibus diabolus tanquam fideliſſimis ſubditis ſummoperè confidebat. Veruntamen iſtorum hominum perſecutio, delatioque ſtatim ſuppreſſa eſt, ſive favore & concuſſione, ſive inſano ſtudio tegendi certos homines affines iſtius criminis (de quibus nulla fortè unquam fuiſſet orta ſuſpicio) ſive propter immanem iſtorum numerum. Effugit index. *Bodin. l.* 4. *Dæmon. c.* 1.

OBITA ERGA IMMERENTES.

☞ *Accuſationis, & Condemnationis injuſtæ meminimus in propriis eorum titulis. Hìc ſpeciem injuſtitiæ conſideramus.*

P. Trebonius complures fecerat hæredes: in his ſuum libertum, is Aulum Trebonium fratrem habuerat proſcriptum. Ei cùm cautum eſſe vellet, ſcripſerat in teſtamento, ut hæredes jurarent ſe curatores, ut ex ſua cujuſque parte ne minus, quàm dimidium ad Trebonium fratrem perveniret. Libertus juravit. Cæteri Hæredes ad C. Verrem Prætorem adierunt (tunc enim adire neceſſe fuit, nec in perpetuum à Prætore, ſed per ſingulos hoc jusjurandum remittebatur) docent non oportere ſe jurare facturos eſſe, quod contra legem Corneliam eſſet, quæ proſcriptum juvare vetat. Impetrant ut ne jurent, dat reis poſſeſſionem: rectè. At liberto malè poſſeſſionem ademit: eò quod juraſſet ſecundùm voluntatem patroni, quia ſicut aliis facilè, ita ſervo, vel liberto conditio jurisjurandi non remittitur: admiſſumque eſt, ut iis vel tacitè fidem accommodaſſe non noceat (quod etiam in filio dicitur) quia parendi neceſſitatem habent. *Ærod. l.* 1. *Decretor. ex Cic. Verrina* 2.

OBITA ERGA MERENTES, ſed illa vel Nimia.

☞ *Majoris pœnæ exempla ex Titul. Immoderatæ vindictæ, tum reſpectu perſonarum, tum reſpectu ſceleris, ob quod iraſcuntur, peti poſſunt. Illic enim ratio habetur neglectæ Moderationis in ultione: hìc verò nimiæ Pœnæ, quæ ſcelere aliquo obſtrictis irrogatur.*

Libidinis cujuſvis pœna nimia.

Cn. Furius Broccum, quem deprehenderat, familiæ ſtuprandum objecit. *Val. Max. l.* 6. *c.* 1.

Romilda nupta Giſulpho Forojulianorum duci, quatuor ex eo filios, filias autem duas genuit: Cacanus Avarum Rex, Giſulphum in acie cum omni ferè nobilitate cecidit. Romilda in Forojulii arcem obſidionem paſſura ſeſe recepit. Avari arcem obſidione cinxerunt. Cacanum muros luſtrantem, ætate florentem, & ſplendidum, rutilantibus armis, equoque Romilda ex turri conſpiciens; omiſſis lacrymis, mittit nuncios, & ſuas

nuptias cum arce dotali offert. Cacanus imperii cupidus, pe-
A titis annuit. Avari recepti, omnes viros interfecere, mulieribus in ſervitium reſervatis. Rex ne poſſet violatæ fidei accuſari, ſeſe libidini, & amplexui ardentiſſimæ mulieris conceſſit: inde ex ejus ulnis avulſus, vocatis duodecim ex Avaris robuſtiſſimis, ad mulieris pruriginem extinguendam, eis illam tradidit illudendam: demùm ſurgente Sole, mediis in caſtris pilum præacutum erigi juſſit, cujus acies Romildæ genitalibus infixa eſt. *P. Diacon. lib. 4. c. 12. Palmerius, Sigibertus anno 616.*

Tyrannidis,

Roboam propter tyrannicas minas à decem Tribubus deſeritur. ☞ *Vide Tit. Conſiliis malis parere.*

Græcis lege cavetur, ut tyrannorum filii velut facinoris conſcii, parentum crimina luant, & haud ſecus morte, exilioque mulctentur, fœdaque in eos exempla iræ, invidiæque exerceantur. *Alex, l. 2. c. 15.*

Majeſtatis læſæ pœna nimia,

B Tiberius Cæſ. crimen læſæ majeſtatis atrociter adeò egit, ut conſulente Prætore, An judicia majeſtatis cogi juberet? exercendas eſſe leges reſpondit, & atrociſſimè exercuerit. Statuæ quidam Auguſti caput dempſerat, ut alterius imponeret. Acta res in Senatu. Et quia ambigebatur, per tormenta quæſita eſt. Damnato reo, confeſtim hoc genus calumniæ eò proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent: circa Auguſti ſimulacrum ſervum ſediſſe; veſtem mutaſſe: nummo, vel annulo effigiem impreſſam, latrinæ, aut lupanari intuliſſe: dictum ullum, factumque ejus exiſtimatione aliqua læſiſſe. Periit denique & is, cui honores in colonia ſua eodem die decreti, & Auguſto olim erant. *Suet.*

Profecto in Africam Sept. Severo legato, obtulit ſe amicus Leptitanus civis, & ut antè conſueverat, præ lætitia eum amplexus eſt. Ea re indignatus Septimius, palàm cædi eum graviter juſſit: præcone magna voce eum monente, ne ipſe homo plebejus in poſterum tam ſtultè, dignitatis non habita ratione, legatum Romanum complecteretur. Illius principii ſeveritate jam indicabat, qualis futurus eſſet Imperator. *Fulg. lib. 6. c. 3.*

C Heraclius Imp. ex Fabia Eudoxia uxore habuit Epiphaniam, & Heraclium, qui Conſtantinus notus appellatus eſt. Cæterùm cùm defunctæ Fabiæ funus efferretur, Epiphania forte quadam ſpuit per feneſtram, contigitque, ut matris elatum corpus ſputo attingeret. Ergo Epiphania, nulla mora facta, comprehenditur, unàque cum cadavere rogo impoſita, viva exuritur. Nam ſive id imprudentia factum erat, ſive malo, & impio animo, perinde haberi placuit: ideò quia & de matre quid per viam ageretur, & quo in loco ſpueret, diſſimulare non potuit: ut ſive in corpus quidem defunctæ matris ſputum cecidiſſet, tamen id totius pompæ, funeriſque vel ludibrio, vel indignatione feciſſe videretur. Hanc igitur injuriam, quæ ad Deos, ad parentes, ad Imperatorem, ad populum Romanum pertineat, ſubitò, atque ſeveriſſimè vindicari debuiſſe. *P. Herod, ex Pomp. Læti Heraclio.* At *Zonaras* barbaram puellam per imprudentiam ſputum in pheretrum rejeciſſe, & eodem rogo crematum ſcribit, crudeli, barbaroque exemplo.

Cædis.

Chæronæi injuſtè damnant adoleſcentes pudicitiam ſuam defendentes. ☞ *Vide Titulum, Severi erga pudicitiæ cor-*
D *ruptores.*

Sarus, & Ammius fratres, ſororis cædem injuſtè ulciſcuntur. ☞ *Vide Tit. Perfidiæ uxorum erga maritos pœna.*

Rosimunda, Alboini Longobardorum Regis uxor, patris mortem injuſtè ulciſcitur. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis ob mortem aliis illatam.*

Guido Montisferrati Comes paternam mortem injuſtè ulciſcitur. ☞ *Vide Titul. Crudelitatis ob mortem aliis illatam.*

Thaſiorum nimiam ſeveritatem in Theagenis ſtatu appete. ☞ *Ex Tit. Ultionis nimiæ erga ratione carentia.*

Latrocinii.

Verticillus, famoſus in Campania latro, cùm exul præteriti maleficii veniam ab Philiberto Aurantio Caroli V. Cæſaris exercitus Imp. impetraſſet. Cæſaris milites Neapoli à Gallis, & Venetis obſeſſos, invecto multo pecore, mirificè adjuvit. Sed hic confecto demum bello ita inexpectatum ejus beneficii præmium tulit, ut à Prætore Capuæ, viro Hiſpano, & ut plerumque fit, ejus ſpoliis inhiante, comprehenſus in furca ſuſpenderetur: juſta quidem veteris maleficii pœna, ſed omnino iniqua, ſi recentis publici beneficii memoria ſpecta- E
retur. *Jov. l. 2. Hiſt.*

Proditionis pœna nimia.

Poſteà quam per Scyllæ Niſi regis Megarenſium filii proditionem, Niſæam, & Megaram Minos cepit, non modò non uxorem eam duxit, verùm etiam ſuis, ut in mare illam abiicerent, imperavit. Mortuam æſtus ad promontorium Hermionenſis agri detulit, quòd Scyllæum ab ea dictum eſt. Neque verò ejus uſpiam ſepulchrum oſtenditur: nam cadaver inſepultum jacuiſſe ajunt, uſque dum à marinis volucribus diſceptum eſt. *Pauſ.*

Fertur de Achille, eum, cùm inſtructis navibus inſulas depopularetur, acceſſiſſe ad Lesbon, atque in ſingulis urbibus captis omnia diripuiſse, ac trucidaſse. Cùm autem Methymnæ incolæ potenti manu ei reſiſterent, in magna conſilii inopia poſitus fuit, quòd putaret impoſſibile eſse urbem capere. Tum ſanè puellam Methymnæam, Piſidicem nomine, regis filiam, Achillem à muro conſpexiſse, ac mox amore illius correptam, nutricem ad eum miſiſse, quæ polliceretur traditoram F
ſe illi urbem, ſi quidem vellet ipſam habere pro uxore. Achilles ſtatim promiſit. Poſtquam autem civitatem obtinuiſset, indignatus ob factum, exhortatus eſt milites, ut puellam lapidibus obruerent. *Parthen, c. 21.*

Lysimachus cùm Amphipolim cepiſset Andragathi proditione, magnis eum muneribus ornavit, majoraque promiſit, ſi in Aſiam ſecum una proficiſceretur. Poſtquam verò ad Thracias anguſtias deventum eſset, non ſolùm omnibus bonis, quæ poſſidebat, eum ſpoliavit, verùmetiam tormentis confectum, vita privavit. *Polyæn. l. 4.*

Brennus Gallorum Rex, Aſiam diripiens, cùm Epheſum veniſset, Demonicam plebejam virginem adamavit: quæ & concubitum, & Epheſi proditionem pollicita eſt, ſi mundum ſibi muliebrem, & manuum ornamenta traderet. Milites igitur avariſſimæ virginis ſinum auro, quod geſtabant, implentes, magna vi auri vivam obruerunt. *Clitophon. l. 1. rerum Gall. & Plut. in Paral. c. 30.*

Sabini, Imperatore Tatio creato, contra Romulum movebant. Haud expeditus erat ad urbem acceſsus: quòd is collis, ubi nunc Capitolium eſt, propugnaculum iis eſset cum præſi- G
dio, cui præerat Tarpejus. Verùm filia præfecti Tarpeja, cupidine capta aurearum armillarum, quas gerentes videbat Sabinos, prodidit iis arcem, pacta proditionis mercede, quæ lævis manibus ferrent. Hac conditione Tatio unam noctu reſerat portam, qua recepit Sabinos. Tatius juſſit ſuis, ut conventorum memores, quæ ſiniſtris ferrent, omnia congererent in illam. Ipſe ante alios detraxit manui armillam, unàque cum hac ſcutum ei injecit. Cùm idem facerent omnes, auro illa injecto, ſcutiſque obruta eſt: itaque numero, & pondere oppreſſa. *Plut. in Romulo.*

Procopius conſobrinus Juliani, qui ſub Joviniano tyrannidem affectans, ceperat Chalcedonem (ut *Nicephor.* narrat *lib. 12. cap. 4.*) poſteaquam Valentinianum, & Valentem Impp. deſignatos reſcivit, Conſtantinopolim ingreſus, imperium ſibi rapuit: & multis copiis brevi temporis intervallo contractis, Valentem adoriri parat. Valens, re cognita, exercitu collecto ei obviàm procedit: Apud Phrygiam ſalutarem, ſeu Natoliam congrediuntur. Procopius à ducibus ſuis Agelone, & Gomario capitur, & Valenti traditur. Juraverat Valens, ſe
eis parciturum: ſed poſteà juramento violato, Agelonem, & H
Gomarium ſerra diſsecari, Procopium verò duabus arboribus incurvatis alligatum diſcerpi curavit. *Socrat. lib. 4. cap. 5. Exemplorum.*

Mahometus cùm obſideret Conſtantinopolim, quidam Conſtantinopolitanorum civium Conſtantino VIII. Imp. infenſus, proditionem urbis magna vi auri, & unius filiarum Imperatoris pactus eſt. Potitus urbe Mahometus anno Sal. 1453. 4. Calend. Junii (qui Chriſtianis omnibus ſemper funeſtus eſse debet) magnum auri pondus in medium afferri juſſit, & ad proditorem converſus: Qui, inquit, filiam meam tibi uxorem cum dote (quæ præſens eſt) poſcis, cùm Chriſtianus ſis, cutem hanc exuas oportet, ut dignus Mahometica ſponſa fias. Adeſt carnifex, & excoriat hominem; inde cineres cum ſale calidos vulneribus inſerit, mox lecto cooperit, quaſi nova cutis ei hac ratione ſuccreſcere poſset. Sic proditor nequiſſimus dignas perfidiæ pœnas à truculentiſſimo tyranno tulit. *Cuſp. in vita Conſtantini 8. Imp.*

Ladislaus Hungariæ rex, Boemiæ quoque regnum ini-
A turus erat. Tum Janus Smiritius (Sylvius Smiriſtheum vocat) procerum haud poſtremus, conſiliorumque utriuſque factionis apud Boemos, Romanæ ſilicet, & Huſſitiæ, conſcius, dat literas ad Ladiſlaum ſua manu in hanc ſententiam ſcriptas: Placet ut in regnum quàm primùm venias, ſed non ſine copiis & armis, ſi modò regnare in Boemia cupis, & vivere. Has literas Ladiſlaus puerili animo Ulrico comiti Ciliæ avunculo, & rectori ſuo, tradidit: illeque perlectas ad Georgium Podiebradium Boemiæ gubernatorem ab Huſſitis dictum, remittit. Nec is moratus, illas in conſilium procerum, in quo Smiritus quoque aderat, ſecum affert, ſuppreſſoque auctoris nomine, ſenſum illarum cum magna indignatione recitat. Omnibus ſupplicium commeritum, quiſquis literas ſcripſiſſet, cenſentibus, rogat ſeorſim Georgius Smiritii ſententiam, illo reſpondente ſimpliciter, tanquam facti hujus ignaro, Quid aliud hac in re cenſeam, quam quod cæteri omnes? obtrudit illi literas, jubentque ſignum & manum agnoſcere, ac ſtatim eodem die ſupplicio capitali affectis de alieno cautiùs, quàm de ſuo capite curioſum. *Dubravius l. 18.*

B Jaropelcus Kiovienſium princeps, cùm aperte vi imparem ſe eſſe Boleslao III. Polonorum regi cerneret, Hungarum ſubornavit, qui pro perfuga ad Boleslaum delatus, captata occaſione, vel vitam ejus peteret, vel inſigni aliqua clade Polonos afficeret. Qui quidem ita ſe in amicitiam creduli principis brevi tempore inſinuavit, ut ad conſilia omnia adhiberetur, ac præfectura Vislicienſi donaretur. Profectò intereà ad Cæſarem Lotharium Boleslao, Hungarus Ruſſis Visliciam oppidum diripiendum tradit. Proditori Jaropelcus princeps præmii loco linguam præcidit, oculos effodit, genitalia membra abſcidit. Sic ille perfidus dignam ſceleris ſui mercedem tulit. *Cromerus lib. 5.*

Deſertionis.

Atticæ mulieres, cùm viros in prælio contra Æginetas amiſiſſent, cladis unicum nuntium fibulis, & acubus tanquam deſertorem inter fecerunt. ☞ *Vide Tit. Latrocinii pœna.*

Æris alieni pœna nimia.

C Eſt hic mos apud Moſcovitas receptus, quòd omnes debitores, qui æs alienum conflaverunt, non habentes unde creditoribus reddant, ex Legis Præſcripto in locum certum, & publicum ad id ordinatum ducuntur, ibique à ſervis prætorianis flagris, baculiſque per ſuras, & crura pedum graviter abſque ulla miſericordia cæduntur, tamdiù, donec, undecunque accipiendum ſit, creditoribus ſua reddere cogantur. Quod ſi ſolvendo non ſufficiant, tunc verberibus multoties exagitati, creditoribus ſecundùm valorem debiti ſervire coguntur. In hunc quoque locum omnes coram magno Duce per contumeliam accuſati ducuntur, & ſi ditiores fuerint, cujuſcunque conditionis, tamdiù verberantur, donec imperata in pecuniam (quamvis nunquam debitam) magno Duci ſolvant. *Guagninus in deſcriptione Moſcoviæ c. 4.*

Ingratitudinis.

Cùm Lacedæmonii falſis inducti oraculis Athenas ſervitutem Piſiſtratidarum tyrannorum liberaſſent, duce Cleomene rege, neque ulla ſibi ex hoc facto gratia ab Athenienſibus haberetur, Hippiam Piſiſtrati F. è Sigeo Helleſponti, quò Piſiſtratidę confugerant, revocarunt, & Athenas reduxerunt. *Herodotus l. 5.*

Inobedientiæ.

D Macheus Pœnorum dux, ob rem malè geſtam in Sardinia exul judicatus, Carthaginem obſidebat. ☞ *Vide Titulum de Amicitia. §. Amicitia à parentibus.*

P. Craſſus Munianus architectum ob imperium licèt cum ratione ſpretum virgis cædit. ☞ *Vide Tit. Ambitio in infamia evitanda, ex imperitiæ objectis.*

Joannes rex generali totius Regni Anglię interdicto preſſus, & veritus, ne Pontifex Rom. aut ipſum nominatim excommunicando, aut ſuos ſubditos à fidelitatis ſacramento abſolvendo, majores ſibi crearet moleſtias: mandat Regni ſui magnatibus (quos iniquiore in ſe animo eſſe ſentiebat) ut obſides illi darent, quibus poſſet eos in officio continere, ſi fortè per Pontificem à ſua fidelitate abſolverentur. Cùm ergo inter alios à Gulielmo Bruſio obſides peteret, Bruſii uxor procacitate quadam muliebri, viro ſuo verba præripiens, nunciis reſpondit, nolle ſe eorum dominio filios ſuos credere, qui Arthurum nepotem ſuum, quem honorificè tueri, & defendere debuiſſet, turpiter interfecerat. Rex hoc reſponſo gra- E
viter offenſus, milites quoſdam armatos ſecreto miſit, qui ipſum Bruſium, una cum uxore, & liberis, & univerſa familia, comprehenderent, atque ad ſe deducerent: verùm ille ab amicis privatim præmonitus, cum uxore, & liberis fugit in Hyberniam: ubi Regis in illam regionem adventu, præfata Matildis cùm filio ſuo, & ejus uxore capta, eſtque cum illo in Angliam miſſa, jubente rege fame necati ſunt. Maritus autem in Galliam fugiens apud Ebulam anno ſequenti exceſſit è vita. *Matthæus Pariſ.*

Negligentiæ pœna nimia.

Victo navali pugna Callicratida Lacedæmoniorum duce, cùm eo Athenienſes vigintiquinque naves cum viris ipſis amiſiſſent, placuerat ducibus Athenienſium Cononis Diomedonti, Leonti, Pericli, Ereſinidi, Ariſtocrati, Archeſtrato, Protomacho, Traſyllo & Ariſtogeni, Theramenem & Traſybulum cum quibuſdam aliis præfectis, iis, qui naufragium feciſſent, auxilio mittere, ut aut vivos recolligerent, aut mortuos ſepelirent, quæ cura ſemper apud omnes Græcos potiſſima fuit. Id verò tempeſtate impediti Theramenes, & Thraſybulus, inviti prætermiſerant. Attamen hi decem reverſi Impe- F
ratores, ſententiam dicente Timocrate, nec non ipſo Theramene accuſante, à Senatu decretum eſt, ſtatim è vinculis rationem redderent, cur naufragis opem non tuliſſent, mortuos ſepulturæ non tradidiſſent. Hi tempeſtatis excuſationem afferebant: præterea ſi quos hoc nomine accuſare, aut ſupplicio affici oporteat, culpam eſſe in Theramene, & Thraſybulo, qui quòd eis imperaſſent, non præſtiterunt. Quod ad ſe attinet, curæ ac diligentiæ ſuæ teſtem habere omnem exercitum. Cùm in noctem incidiſſet hæc tumultuaria accuſatio, ita ut manus, quibus elevandis populus quod vult, jubet ac decernit, inſpici non poſſent: placuit rem in alium diem reiici, interim verò arbitraturum Senatum, quæ pœna ducibus dici debeat. Poſtridie Senatus, cùm Theramenes, & Callixenus rem omnibus artibus, & occulta calumnia in invidiam protraxiſſent: cenſuit eam uti ſi planè cognita eſſet, ac perſpecta, judicio populi committi oportere, hac conditione ut ſi damnati placuiſſet. Undecim viris occidendi traderentur, bona publicarentur, & eorum decima Deo voveretur. Sed extitit Euryptolenus Callixenum accuſans: indignum eſſe, prius judicium dici, quàm legum ordine reis, & adversùs reos G
cauſam dicere permitteretur. Sed auctore Calixeno, & accuſatorum factione, & opibus factum eſt, ut ſciſceret populus, ſe & de ducibus, & de iis, qui intercederent, quò minus ſuffragia fierent, ſimul judicium laturum. Quare judicibus imperatum eſt, ut primi ſententiam dicerent. Hi antea quidem negarunt, ſe contra leges ſuffragia laturos, ſed poſteà timore periculi tulere omnes, præter Socratem Sophroniſci filium. Itaque decem ſtrenuiſſimi duces, & innoxii damnati ſunt: ex quibus ſex, qui præſentes erant, occiſi ſunt. At paulò poſt, tanta iniquitate judicii perſpecta, populus juſſit, ut à quibus ſeductus, ac ſubornatus eſſet, hi capitis arceſſerentur, & vades darent, quo ad judicarentur. At Callixenus cibi abſtinentia ſibi mortem attulit: reliqui orta ſeditione abierunt in exilium, priuſquam damnarentur. *P. Herodius ex Xenophonte, lib. Rerum Græcarum, & Val. Max. lib. 9. cap. 8.*

Ab Attalo Cleopatræ reginæ (quam repudiata Olympiade duxerat Philippus) avunculo cùm Pauſanias adoleſcens nobiliſſimus conſtupratus, & ab eo per contemptum plurium convivarum libidini, ut vile ſcortum, ſubjectus eſſet, quapropter pro ludibrio in ora omnium abiverat, ſæpius apud regem tam inſignem contumeliam fruſtra queſtus, cùm cerneret etiam tantum abeſſe, ut ob eam rem Attalus quicquam eſſet H
incommodi aditurus, ut ducatum etiam nuperrimè à rege acccepiſſet, omnem iram in Philippum vertit, atque ultionem, quam ab adverſario non potuit, ab eo ut ab iniquo judice audax adoleſcens exegit. Multi perſuaſum habuere, Pauſaniam ab Olympiade miſſum, nec Alexandro ignaro. Satis conſtat, Olympiadem percuſſori fugienti equos præparatos habuiſſe, & mox Pauſania in crucem ſublato (nam ad ſupplicium eſt poſt cædem retractus) auream coronam noctu impoſitam, quod facere Alexandro filio, ſuperſtite, præter ipſum, qui ultor timebatur, alius quidem nemo fuiſset auſus. *Sabellicus libro 3. Ennead. 4.*

Infortunii, infelicis pugnæ pœna nimia.

Malè per infortunium pugnaſse, raro apud Romanos crimini datum eſt. Laus enim etiam victo Imperatori, ac Duci redditur, ſi & prudentia, & induſtria, & fortitudo muneribus ſuis functa eſt: ſicut vel Medico, vel Oratori, ubi omni arte

ſua uſi ſunt. Quamquam aliter CARTHAGINENSIUM legibus. Nam re malè geſta, dux omnino cruci affigebatur, & Aſdrubal, quòd malè adverſus Cæcilium Metellum pugnaſſet, abſens capitis damnatus eſt. Sed & illud vulgare eſt de Himilcone duce, quo pacto victus primo Punico bello, pœnam hanc ſolertiſſimè effugerit. Sed culpa ſua malè pugnaſſe, ſæpiſſimè ſua pœna, & mulctâ eſt animadverſum. C. Cotta P. Aurelium ſanguine ſibi conjunctum, quem obſidioni Liparitanæ ad auſpicia repetenda Meſſanam tranſiturus præfecerat, virgis cæſum militiæ munere inter pedites fungi coegit, quod ejus culpa ager incenſus, & caſtra penè capta eſſent. *P. Herod. ex Val. Max. lib. 4. c. 2. & Oroſ. lib. 4. c. 9.*

Victor Piſanus rei maritimæ Venetorum Imper. cum Genuenſibus ad Polam congreſſus, magna clade affectus eſt. Advocatores auctores fuere, ut abrogato illi Imperio (tametſi partim hoſtium inſidiis, partim præfectorum quorundam ſegnitie, qui in tempore non adfuerant, ſuperatus) carceri manciparetur. E quo tamen non multo pòſt ſolutus, veterique dignitati reſtitutus, præclaram operam Andreæ Contareno duci præſtitit, ut fuſo, fugatoque Genuenſi hoſte, Clodia ſit recepta. *Egnatius lib. 2. c. 4.*

Antonius Grimanus Venetæ claſſis, quam Turcicæ oppoſuerunt anno 1499. præfectus, quòd hoſtes, cùm ab Sapientiæ portu egrederentur, & iterùm ad Lepanti ſinus fauces, vincendi occaſione uſus non eſſet accuſatus, ſucceſſore ei dato, Senatuſconſulto Venetias eſt revocatus: cauſaque Senatui Rogatorum permiſſa, in quo multos menſes ſumma expectatione, hinc illius auctoritate & amplitudine defendente, illinc accuſatoribus multis argumentis, ac teſtibus perſequentibus acta eſt: Tandem cùm, ſive viri auctoritate, & propinquorum multitudine, ſive quòd in eo Senatu, cui multi prudentes viri inter ſunt, non tam publici rumores, & non ſatis probatæ calumniæ ponderarentur, quàm maturo judicio rei veritas indagaretur, fuit hæc cauſa per tribunos plebis, quos communes Advocatores appellant, ad majorum comitiorum judicium deducta: ubi vel gratia ceſſante, vel multitudinis levitate ſenatoriam gravitatem ſuperante, non tamen ante ſequentis anni 1500. finem perpetuo exilio in Oſſarum inſulam relegatus fuit. *Guicciard. lib. 4.* Alii malunt in Cretam gravi etiam indicta pœna, ſi finibus exceſſiſſet. Qui tamen Romam ad Cardinalem filium clàm profectus, & non multò pòſt patriæ reſtitutus procurator primùm, tandem verò in Lauredani clariſſimi principis locum ſubrogatus eſt: memorabile planè exemplum poſteritati futurus. *Egnatius lib. 2. cap. 4.*

REMISSIOR POENA.

☞ *Ex loco Indulgentiæ, huc pleraque referenda.*

Trogloditarum lex erat, ut qui tyranni uxorem corrumperet, ove mulctaretur. *Alex. lib. 4. c. 1.*

Cumæi in adulterio deprehenſam, omnibus exhibent ſubigendam. *Ibidem.*

Mulieri cuidam, quæ ſpontè filium parvulum occiderat, ut in monaſterium aliquod ſecedat, conſulit Alexander III. Pp. in quo peccata ſua perpetua pœnitentia deploret. Si tamen repugnante carnis fragilitate, ad hoc induci noluerit, in Domino nubat. Tutius eſt enim, inquit, in Domino nubere uni ſoli, quàm inhoneſtè multos admittere. *Lib. 5. Decret. tit. 10. cap. 1. Veniens.*

INDECORA POENA. VEL RATIONE *Loci.*

Ceſtius erat ex eorum numero, qui contemnebant Ciceronis ingenium: hic cùm fortè accumberet in eodem convivio cum Cicerone M. Tullii filio, qui tum Aſiam obtinebat, & ſubmonente quopiam è famulis, cognitum eſſet, eum eſſe Ceſtium, cujus judicio nihil ſciret M. Tullius, illicò ſublatus è convivio, juſſus eſt flagris cædi. *Seneca in Decl.*

Modi.

Expeditionem parantibus in Siciliam Athenienſibus, prætoribus Alcibiade, Nicia, & Lamacho, una nocte ſtatue Hermæ dicti, maxima ex parte facie mutilati fuere. Intereà ſervos nonnullos, & incolas produxit Androcles concionator, qui Alcibiadem, ejuſque amicos aliorum laceratorum ſignorum, & effictorum per vinum myſteriorum inſimulaverunt. Hi Theodorum quendam oſtenderunt exiſſe præconem, Polytionem tædiferum Alcibiadem hierophantem, cæteros ſodales aſtitiſſe myſteriis initiatos appellatos myſtas. Cæterùm cùm nautas, & milites ſui haberet ſtudioſos Alcibiades, in Siciliam navigare juſſus eſt: bello confecto, iiſdem legibus cauſam diceret. Profecto Alcibiade, Athenienſes conjecerunt in carcerem eos, qui quavis de cauſa fuerunt delati, inauditos: pœnituitque eos, quòd flagrantibus delictis tantis, in judicium non rapuiſſent, damnaſſentque Alcibiadem. Neque tamen certi, vel firmi indices demonſtrarunt. De quibus rogatus unus, quemadmodum vultus eorum, qui truncaverat ſimulacra, cognoviſſet: ubi reſpondit: Ad Lunam, toto cœlo erravit: nam fuerunt hæc interlunio admiſſa, excitavit id quidem ſanorum hominum ſtrepitum; populum verò ne hoc quidem fecit ad calumnias remiſſiorem: ſed eodem, quo cœperat, perrexit impetu vincula dare & coniicere, quicunque eſſet delatus. Populus poſtquam à violatoribus ſignorum diſceſſit, acriùs quaſi otiante bile in Alcibiadem totus incubuit. Poſtremò miſit ad eum triremem Salaminiam. Atque hoc quidem diſertè dedit miſſis in mandatis, vim ei ne admoverent, neque iniicerent manus: ſed lenibus verbis ut aggrederentur eum, denunciarentque, ut ad cauſam dicendam ſequeretur, & purgaret ſe ad populum. Thurios progreſſus, cùm ex nave deſcendiſſet, abdidit ſe, elapſuſque eſt inveſtigantibus ipſum. Cognitus à quodam, qui dixit: non fidis Alcibiade patriæ tuæ? Cætera, inquit omnia: ſed de capite meo ne matri quidem: ne fortè pro albo atrum calculum imprudens iniiciat. Poſt capitis ſe damnatum à civibus: At ego, inquit, illis oſtendam me vivere. Ut primum Thuriis profugus trajecit in Peloponneſum, Argis hæſit aliquamdiu. Formidans autem inimicos, depoſita recuperandæ ſpe patriæ Spartam ad petendam fidem publicam miſit: priores injurias oſtendens, quibus ſe fuerat ultus, majoribus commodis, & emolumentis penſaturum. Qua data, recipientibuſque eum Spartiatis, alacris eò profectus unum illicò perfecit, ut omiſſa cunctatione, & procraſtinatione Syracuſanis ferrent ſuppetias, erexitque eos, atque incitavit, ut duce miſſo Gylippo, convellerent vires in Sicilia Athenienſium: alterum etiam moverent Athenienſibus ex Peloponneſo bellum: tertium & maximum, ut munirent Diceleam: quod urbem Athenienſem æquè, ac nihil aliud preſſit: contrivitque. *Plut. in Alcibiade.*

Clagefurti, oppido Carinthiæ, ſolent iis, quos furti ſuſpectos habent, haud diligenti inveſtigatione prius facta, in furcis cervices frangere. Triduò autem poſt inquiſita re per judicium, ſi verò furtum feciſſe, quo arguebantur inventi ſunt, furcis appenſos relinquunt. Quòd innoxii fuiſſe judicentur, à furcis detracti, impenſa publica cum honoris præfatione ſepeliuntur. *Fulgoſus lib. 2. 6. 1. & Æn. Syl.*

Friderico III. Imp. in Italia abſente, Baumkircherus cum proceribus Auſtriæ contra Imp. res molitus eſt. Cæſar ſub fide publica, ſex è principibus conjurationis Neapolim vocatos indicta cauſa, & violata præter dignitatem ſuam fide, clàm in hortis capite mulctavit. Rogatus ab his antequam ſupplicium ſumeret, Cur datam fidem læderet? reſpondit: Æquum, & fas eſſe, perfidis, & parricidis violare fidem, & ſcelus arte pari punire. *Bonfin. lib. 4. Decad.*

Civis Uratislavienſis, honeſto domi loco natus, copiiſque rei familiaris locuples, & exiſtimatione inter primos habitus, negotii cujuſdam ſui gratia in Poloniam profectus, divertit in oppido quodam in domum meritoriam. Ibi caupo quingentos hoſpiti aureos clàm ſubducit, accuſatuſque furti, crimen metu tormentorum fatur, reddere ablatum paratus, nec aliud quicquam hoſpes petebat. Cæterùm judex, & decuriones oppidi inſtare, ut legibus illorum ſatisfiat, quæ ſanciunt, ut accuſator furti manibus furem in furca ſuſpendat: aut ſi id munus pertinaciter recuſet, ipſe à fure ſuſpendatur, ſi fur id exequi voluerit: quod ille promptiſſimè ſe facturum recepit. His verbis exanimatus metu hoſpes, ignominiam, infamiamque ſupplex deprecatur, donatque gratuitò judicibus totam illam ſummam ſibi ereptam, modò abire incolumis liceat. Negant illi fas eſſe cuſtodibus contra leges quicquam agere. Quid multa? quando nihil æqui impetrat, facere quàm pati quod neceſſitas jubebat, maluit: continuoque Cracoviam ad regem Poloniæ perrexit, qui legis hujus barbaræ non ſolùm teſtem ſe exhibuit, ſed literis præterea ſuis regiis ab omni infamia illum purgavit, quas Uladislaus quoque Boemorum, & Hungarorum rex ſuo diplomate confirmavit, addita mulcta, ſi quis factum illud ei exprobraret. At nemo rurſus extabat, qui facinus illud ſeriò excuſaret, ſed metu mulctæ omnes muſſitabant. Hanc demùm Uratislavienſes rationem hominis in priſtinam dignationem reſtituendi, inveniunt: creant eum præfectum, quem ipſi Capitaneum vocant, qui nobilitatis ad

juriſdictionem Uratislavienſem pertinenti tanquam judex præeſſe ſolet: quem honorem ſi ille aſſecutus fuiſſet, cætera omnia ſalva eſſe videbantur. Nobilitati valde turpe viſum, in ſubſelliis aſſidere ei, in cujus vita tam manifeſta hæret infamiæ macula: contra cives literas regias opponebant, quibus omnis prorſus nota detergebatur. In hac igitur difficultate Rex Uladislaus medium quiddam cenſuit, utrum præfecturam urbis ille gereret, poſteàquam à civibus rurſus in ſenatum allectus eſſet, removerant enim illum è Senatu. Sed nec pòſt hanc regis ſententiam eum in locum reſtituerunt. Ita nec ſenator, nec præfectus, ſed ut privatus tandem mortuus eſt. *Dub. lib. 32.*

INJUSTAM CORRECTIONEM Fugere. Videlicet Reſpectu

PERSONARUM. Erga

INSONTES, IMMERENTES. TUM

Non Accuſando.

Scribit Theopompus, cùm populus Athenienſis Demoſthenem accuſatorem in cauſa quadam eum nominaret, obſtreperet autem morem non gerenti, ſurrexiſſe eum, ac dixiſſe: vos me, Athenienſes, conſiliarium vel inviti habebitis, calumniatorem ne ſi volueritis quidem. *Plut. in Demoſt.*

P. Scipio Africanus poſterior, cenſor, etſi ſciret C. Licinium ſacerdotem verbis conceptis pejeraſſe, tamen accuſante nemine, ne in perſona ejus & accuſatoris, & teſtis, & cenſoris, & judicis partes egiſſe videretur, equum ſine nota traducere juſſit: recognoſcebat enim tunc equitum centurias. *Val. lib. 2. c. 1. & Plut. in Apoph.*

Q. Scævola augur, quamvis ei graviſſimè minaretur L. Corn. Sylla, eò adduci non potuit, ut C. Marium hoſtem judicaret, à quo urbs, & Italia conſervata eſſet. *Val. l. 3. c. 8.*

Teſtimonium, vel Accuſationem in eos non admittendo.

Cùm Publicanus manum in Xenocratem philoſophum injeciſſet, eumque in carcerem traheret, tributi non ſoluti nomine liberavit Xenocratem Lycurgus orator, quia omnino quenquam duci hac de cauſa non oportuit, ſed tantùm cogi pignoribus captis. Sed & quia minimè omnium, tantum, tamque eximium virum duci oportuit, ipſum exactorem ultra quàm deceret importunum & injurioſum, in carcerem coniici juſſit. *Paulus Ærodot. ex Plutarch. in vit. decem Orat.*

Cùm inter C. Julium & Cn. Pompejum Strabonem magna eſſet de T. Albutio accuſando contentio, idque in eo judicio verſaretur (quod divinationem appellabant, illiuſque controverſiæ genus eſt, quæ Translato dicitur) uter eorum legis judiciique magis idoneus eſſet: quamvis Pompeii auctoritas, & eloquentia valebat plurimùm, tamen quia Julius hoc ſecum auctoritatis ad accuſandum afferebat, quod à Sardis rogatus acceſſerat. Cn. Pompejus denique contra morem majorum delinquere videretur, quòd Albutium, cui quæſtor olim fuiſſet, potius accuſare vellet, quàm has partes alteri relinquere: atque id ſi vel jure poſſet, piè tamen non facere. Etenim Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe: neque juſtiorem ullam, aut graviorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm conjunctionem ſortis, quàm provinciæ, quàm officii, quàm publicam muneris ſocietatem. Ideòque nec L. Philoni in C. Servilium, neque Aurelio Scauro in L. Flaccum nominis deferendi poteſtas olim data fuiſſet, quamvis eò quòd Quæſtores fuiſſent, hoc Prætorum ſuorum crimina melius noſſe ſe dicerent: Placuit, ne libido violandæ neceſſitudinis auctoritate judicium comprobaretur, Pompejum admitti non debere. *P. Ærod. ex Cic. de Divinatione.* Similiter & poſteà inter L. Piſonem, & Q. Cæcilium: M. Tullium Ciceronem, & Q. Cæcilium Nigrum: hic cùm de C. Verris: illic de Gabinii accuſatione quæreretur, pronuntiatum eſt, ut Quæſtori Q. Cecilio ne ſubſcribendi quidem facultas conceſſa ſit. *Idem ex eodem.*

Non puniendo, non condemnando.

Inſontes.

SOCRATES Athenienſis, licèt ejus poteſtatis eſſet, cujus arbitrio plebiſcita ordinarentur, x. prætores, qui apud Arginuſas Lacedæmoniam claſſem deleverant, capite damnare recuſavit: indignum judicans, tot ac tam bene meritos ex indigna cauſa impetu invidiæ abripi. *Val. Max. l. 3. c. 3.*

Cùm Theſſalorum negotiatores è Syriis nonnulli violaſſent, ſuaque propria mercede ſpoliaviſſent: re delata ad Amphictyonas, tota reſpublica Syriorum damni injuriæ nomine mulctata eſt. Sed huic judicio Populus Athenienſis obſequi noluit: quia delicti pœnam, & culpam in auctores, non in commune judicaret reiici oportere. Publicam enim cauſam à privatorum culpa ſegregandam: & ſi in civitate à multitudine peccatum eſt, non protinus bonis, aliiſque innoxiis imputandum eſſe. *Ærod. ex Plut. Cimone.*

OLYMPIAS, ut inſontis cujuſdam necem Alexandro filio exprimeret, gravius inſuſurrabat novem menſium in utero geſtationem. At ille: Aliam inquit, optima parens repoſce mercedem. Hominis ſalus nullo beneficio penſatur. *Cæl. l. 16. c. 5. A. L.*

MERCATOR quidam pontem tranſiens, plauſtrum cum mercibus caſu ſubverterat. Præfectus defert rem ad Joannem Danum, Archiepiſcopum Bremenſem, quaſi naufragium: merces enim tetigiſſe terram, & ideò cecidiſſe in commiſſum, ut confiſcarentur. Accuſavit Archiepiſcopus, increpans præfectum, quod pontium curam non haberet, niſi peccaſſe hominem, qui culpa præfecti in calamitatem incidiſſet, ſed etſi quid peccaſſet, non tamen idcirco amiſſurum ſua. *Crantz. l. 8. Metrop. cap. ult.*

Inauditos.

HENRICUS II. cùm Italum ſervum in carcerem duci juſſiſſet, non adjecta cauſa, Judices hominem liberarunt, priùs tamen admonito rege. Rex juſſit illum condemnari, cùm religiosè, ac ſanctè juraret, ſe hominem in ſcelere turpiſſimo deprehendiſſe, quòd evulgari nollet, ac judicibus ſuccenſeret, quòd ſibi affirmanti fidem non haberent. Liberatus eſt tamen à judicibus, & carceribus ereptus: ſed poſteà juſſu regis in flumen Sequanam noctu demerſus, ne inſolentia facti populum perturbaret. Actum eſſe Meloduni, refert *Joannes Bodinus in Methodo hiſt. c. 6.*

SONTES, NOXIOS: EOS *Non fovendo.*

CAROLUS Magnus in Synodo Durienſi, c. 8. homicidas, & alios facinoroſos, qui juxta leges capitali ſupplicio afficiendi ſunt, ſi ad Eccleſiam confugiant, vetat excuſari, aut victu foveri.

Non defendendo.

Vocato in crimen Harpali cauſa Charicle, oranteque Phocionem ſocerum, ut præſto eſſet ſibi, & in judicio aſſiſteret, renuit dicens: Ego te, Chaticle, ad omnia honeſta generum adſcivi. *Plutarch. in Phoc. in præcep. Pol.* Charillus dicitur.

AUGUSTUS Cæſar amicos ita magnos, & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari jure eſſent, quo cæteri, legibuſque judiciariis æquè tenerentur. Cùm Aſprenas Nonius arctiùs ei junctus cauſam veneficii, accuſante Caſſio Severo, diceret: conſuluit Senatum, Quid officii ſui putaret? cunctari enim ſe, ne ſi supereſſet, eripere legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere, ac prædamnare amicum exiſtimarentur. Et conſentientibus univerſis, ſedit in ſubſelliis per aliquot horas: verùm tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali data. *Suet.*

PAPINIANUS Juriſconſultus, ne defenderet prandium Antonini Caracallæ, interfici ſe permiſit: dignus profectò qui jus doceret, cùm tanta conſtantia magnitudineque animi fuerit, ut ne quidem metu mortis adductus, ut contra juſtitiam faceret. Hiſtoriam habes apud *Roterodamum l. 9. Apoph. ex Spartiano*, cujus verba repetit *Volat. l. 18. Anthrop.*

Non liberando.

Frater Antigoni Marſyas litem habebat: ſed à rege poſtulabat, ut cauſa domi cognoſceretur. Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter jus agimus, meliùs fiet in foro, cunctiſque audientibus. Non impetravit hoc à rege fraternus affectus, ut vel tantillum de jure concederet. Ipſum autem hoc dilemmate conſtrinxit: Si injuſtum cauſam habere te ſcis, cur litigas? ſin juſtam, cur fugis hominum conſcientiam, ad domeſticas latebras rem fori pertrahis? non cariturus ſiniſtra civium ſuſpicione, etiam ſi bonam cauſam viceris. *Plut. in Regum Apoph.*

PHILIPPUS Macedo, cùm Harpalus pro propinquo, & neceſſario Cratere injuriarum reo peteret, ſibi ut liceret mulctam inferre, & ille judicio liberaretur, ne probis proſcinderetur: Satius eſt, inquit, hunc ipſum, quàm ejus cauſa nos malè audire. *Ibid.*